FRIDERICI CREUZERI

ELOQ. LITERAR. GRAECAR. ET LAT. IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI PROFESSORIS

DIONYSUS,

SIVE

COMMENTATIONES ACADEMICAE

DE RERUM BACCHICARUM ORPHICARUMQUE ORIGINIBUS ET CAUSSIS.

VOLUMEN PRIUS.

CUM FIGURIS AENEIS.

HEIDELBERGAE, MDCCCIX.
IN OFFICINA MOHRII ET ZIMMERI ACADEMICA.

Nachricht an den Buchbinder. Dieser Titel wird statt des andern Haupttitels eingebunden, und jener ausgeworfen.

FRIDERICI CREUZERI
ELOQ. LITERAR. GRAECAR. ET LAT. IN ACADEMIA
HEIDELBERGENSI PROFESSORIS

DIONYSUS

SIVE

COMMENTATIONES ACADEMICAE

DE RERUM BACCHICARUM ORPHICARUMQUE
ORIGINIBUS ET CAUSSIS.

PARS PRIMA.
FASCICULUS PRIMUS.
CUM FIGURIS AENEIS.

HEIDELBERGAE, MDCCCVIII.
IN OFFICINA MOHRII ET ZIMMERI ACADEMICA.

Der erste Band, wird erst nach Erscheinung des Fascicul. II. gebunden, und alsdann gegenwärtiger Titel cassirt.

VIRO ILLUSTRISSIMO

ATQUE EXCELLENTISSIMO

SIGISMUNDO, CAROLO, JOANNI

A REIZENSTEIN

AUGUSTO MAGNO DUCI BADAE

A CONSILIIS SANCTIORIBUS

EIUSDEMQUE

AD AUGUSTISSIMUM GALLIAE IMPERATOREM

ITALIAEQUE REGEM

NUPER LEGATO

BADENSIS ORDINIS FIDEI

PRIMARIO EQUITI

ANTIQUORUMQUE ACADEMIAE

RUPERTAE CAROLAE

ORNAMENTORUM

RESTITUTORI INTELLIGENTI, PIO, FELICI

HAS COMMENTATIONES ACADEMICAS

VENERABUNDUS CONSECRAVIT

AUCTOR.

ARGUMENTUM

VOLUMINIS PRIORIS *).

PROOEMIUM.

Bacchicarum fabularum natura gravissimumque argumentum; latissime patens, per terras, per doctrinas. Illarum fabularum vicissitudines. Laudantur nonnulli auctores e poëtis, rerum scriptoribus philosophisque. p. 1—6.

COMMENTATIO I.

in qua de rebus Bacchicis Orphicisque, praesertim de vasis sacris universe disputatur.

Cornua antiquitus pro poculis. Διόνυσος ταῦρος, cornutus. Bacchi πίθος. Centaurus. κάνθαρος. κισσύβιον. κρατήρ. λέβης. ἐμπυριβήτης. φιάλη. Dionysi μελοκοπία. pag. 7—19.

Orphei κρατῆρες, in quibus de anima mundi. Hermes in ἱερῷ λόγῳ. Mercurii plures. Theuth. Mercurii Aegypti scripta. Libri Kyranici, ὑδρία fluviorum praesidibus dicata. P. 19—24.

Nicomachus apud Athenaeum de vase mundano. κόνδυ, Ἑρμῦ ἴπνος (ἰπνός). σύμβολα ἀστρολογίας. Vasa orientalium hominum mirifica. Dschemi, Persae, vas sacrum, Josephi, Solomonis, Alexandri speculum, laterna, po-

*) Quae ex Bacchi fabulis Thraciis, Indicis, Thebanisque et Atticis tractanda restant, ea, cum disputatione de Libero Etruscorum Romanorumque Bacchanalibus, posterius Volumen complectetur.

Excursus I.

exhibens Orphica Heraclitea que decreta de Fato rerumque mundanarum vicissitudinibus.

Excursus II.

de cratere Liberi Patris sidereo.

COMMENTATIO II.

in qua de urceis Niliacis itemque de Canobo, Pataecis, Cabiris Dioscurisque disputatur.

rum tessera. Bina mundi hemisphaeria. Orphicorum τῦ ἀῦ τὸ ἡμίτομον. Coelum ὀρνίθων πόλος. Ovum primigenium. Epimenides de Dioscuris, masculo et femineo. Cnephi Aegyptii ovum et globus. σφαῖρα pluribus Aegyptiorum diis attributa. Dioscurorum pilei etiam in numis. Totius fabulae origo vicissitudinesque.

COMMENTATIO III.

Monetur universe, quam vim et quas caussas physicas habuerit antiquissima Magnorum Deorum Dearumque species.

Coeli circuitus terrarumque orbis ollarum ovorumque, magnis diis attributorum, tesseris declaratus, τὸ κυκλοτερές. Prisci δημιυργοί. Philosophorum placita, quae inde ducuntur. Empedocleus vel Parmenideus σφαῖρος. Humor et ὑγρὰ τροφή. Ollae pro calidis lavacris, χύτροι, χύτραι. Ἅιδυ κρατήρ. Vas pro corpore humano. Natura humida, altrix, beneficaque. Dii boni sub vasorum specie latere crediti. Vulcanus thermarum auctor. Pedum exilitas, in priscis diis declarans naturae vim oppressam, hiemem, mortemque. Mortis maturitas. Dii boni, iidemqui inferi et Manes. Receptaculi mortisque notio copulata. Orcus et orca. Receptor mortium, Πλύτων, Dives.

Horum notionum origo, tesserarumque usurpandarum primordia rudia et deinceps informandarum vicissitudines. Omnium deorum ἀρχαῖοι τρίποδες. Donariorum initia. Per quas terras propagatae fuerint vetustae tesserae. Laconia priscorum religionum tenax. ὑδρία in Magnarum Dearum sacro apparatu. χαλκῦς θάλαμος.

COMMENTATIO IV.
De Serapide et Baccho Pelasgio.

De Baccho prisco, praesertim de Pelasgio.

Arca in rebus Bacchicis. Διόνυσος Αἰσυμνήτης. Dardanus priscarum religionum auctor. Dionysus Δυσάρης. Δεύς. Dominus. Deus. Δεύνυσος. Δεῦνος. Bacchus infans in cistâ latens. Cistae in reconditiore Dionysiorum apparatu. κότυλος. Baechus Indicus cum cyatho. Urna, quam Sphinges custodiunt, tina pro vase vinario, δῖνος pro eodem; hinc Bacchus Etruscorum Tinia et Tina. B. priscus sub vinarii vasis formâ latens. Sphinges in Bacchi Orgiis, itemque Centauri. Bacchus ψίλας Amyclaeorum. Alae Baccho additae. Dionysi crater ex Indiâ in pompâ ductus. Διόνυσος θρίαμβος. Globus velatus in apparatu Bacchico. Velamen, a Cabiriis ad Bacchica orgia traductum. Phialae nuper ad hieroglyphica literarum initia traductae. Perdita scriptorum graecorum opera περὶ κρατῆρος. pag. 267—266.

Crater γόνιμος et taurus rerum genitor apud Indos, Persasque. Mithras. Apis. Dionysus taurus. Bos Baccho hieme oblatus. Διόνυσος ταυροφάγος. Δ. ὠμάδιος et ὠμηστής. Ei homines immolati. Cothurnus additus Dionyso, itemque clava. Sol hibernus, vernus. Δ. ἄῤῥην καὶ θῆλυς apud Orphicos. Humidarum tenerarumque frugum auctor. Ὕης. p. 266—270.

Dionysus idem qui Osiris. Dionysi uxor Isis. Bacchi a Centauris vecti ratio astronomica. Hyades in rebus Bacchicis. Horae Διονυσιάδες. Bacchus Ὀρθός. Pleiades. Hyades et Pleiades Dionysi nutrices, respectu habito solis, humidae naturae, fertilitatisque. septenarius Pleiadis numerus. Pleias Musarum lyra. Bacchus taurinis cornibus. Bacchus astrorum choragus. Italiae praeses. B. sol in Eleorum religionibus βοέῳ ποδὶ venire dicitur in vetere carmine. Bos

cum facie humana (Hebon) idem qui Bacchus. Sol vernus per bovem declaratus. Bacchus e cornu bibens. ἐν κέρατι πίνειν. κεράτης et κρατήρ. pag. 270—279.

Bacchus leo, tanquam sol aestivus. In Leone calores maximi. Adonis idem qui Bacchus. Solis ad hiberna signa delabentis insigne: serpens. Dionysus draco vel δρακοντόκομος. Serpentes in rebus Bacchicis varie adhibiti. Quae ratio intercedat inter tauri signum coeleste et serpentis. Διόνυσος δρακοντογενής. Ζαγρεύς in Sabaziis cultus. Sabaziorum sacra tessera. His omnibus expeditur ratio speciesque Χρόνȣ, qui Orphicis idem cum Dionyso est. Jacchus Cereris πάρεδρος. Orphicorum Διόνυσος ταυρομέτωπος. Dionysus bos, non diversus a sementis auctore. Serpens ad Bacchum, tanquam solem, tanquam medicum, relatus. Dionysus labentem coelo annum deducens. Bacchi Pelasgii symbola. pag. 279—284.

Excursus III

De Canobo stella, amphoraque siderea et historia animarum humanarum. Praeterea de antris Bacchicis et Baccho vate.

Canobi nomen ab astronomis nobilitatum. Canobus in astra relatus. Osiridis gubernator. Aegyptiorum dii navibus vecti. Canobus Pataecus. Mithrae crater. Canobi etymon ex astronomiâ repetitum. Ejus stella in temone navis Argus. Ponderosa et terrestris. pag. 284—290.

Aquarius cum Canobo simul oriens. Pro Aquario solâ Amphora. Hujus nomina, in his κάλπις et οἰνοχόη. Graecorum fabulae. Philosophorum placita de Dionyso infero, et de Aquario. Hunc cum sol tenet: Manibus parentatur. Duo vasa Bacchica in coelo, alterum Li.

venis. B. ὀρσιγύναιξ. B. plurimas formas induit idemque vaticinatur. Bacchi vetusta oracula apud Thraces. Orphei σανίδες. Dionysus Legislator meliorisque vitae auctor.

COMMENTATIO PRIMA,

QUAE EST

DE VASIS BACCHICIS ORPHICISQUE

IN HIS

DE PERSARUM AEGYPTIORUMQUE

VASE MUNDANO MYSTICO

APUD ATHENAEUM.

PROOEMIUM.

Notum est, quod refert Demetrius *) de multitudine fabularum Graecarum. Neque tamen ex earundem infinito paene numero ulla unquam tam late patuit, quam illa, quae per Bacchicarum rerum amplissima spatia ducit. Neque ullum sacrorum genus ad tam multas res pertinet, quae in doctâ antiquitate aestimandâ primariae et sunt, et ab idoneis arbitris habentur. Nam ut illud taceam, haec jam Homerum spectasse et qui reliqui sunt antiquissimi epici poëtae: indidem lyricorum carminum haud exigua pars effloruit, et res scenica Graecorum propemodum omnis.

Hunc porro mythum eorundem tum sculptura tum pictura quodammodo sibi deligere visa est, quem in primis ornaret et ad oculorum sensum traduceret. Quo factum est, ut operum phidiacorum, quae fortuna fautrix servata voluit, e nullo genere tot hodieque reliquiae habeantur, quam e Bacchico. Quod

*) Περὶ ἑρμηνείας §. 12.

unumquemque anaglyphorum monumenta docent, praesertim in sarcophagis.

Ac sicut ea res, ab ultimo usque Oriente Indiaeque sacris profecta, per totam fere Asiam Aegyptumque ad Graecos permanavit, sic eadem, quasi tradita per manus, ad eruditorum omnes ordines pertinuit.

Nam ut in eâ ornandâ sese effundere gestiit poëtarum reliquorumque artificum licentia, sic illa rursus adstricta est philosophorum rationibus et, profanorum conspectui subducta, latuit involucris mysteriorum cum Thraciorum tum Atticorum. Quae cum ita sint, nemo mirabitur, qui offenderit interpretationum varietates vicissitudinesque, quas eae religiones subiere. Neque enim fieri potuit, quin eae, diversissima spectantium hominum studiis, per temporis deinceps labentis decursum, in multis rebus sui quodammodo dissimiles apparerent.

Hoc tamen haud quaquam eo pertinet, quo trahere volunt ii, qui hodie nihil prius habent, quam ut, si hoc fieri possit, ex ipsâ religione religionem tollant. Quod studium si quem hominem transversum egerit, ei nihil magis ridiculum videtur, quam eorum ratio, qui divinarum rerum sensa vivido pectore fideliter condunt. A tam improbis consiliis nos quidem segregatum volumus quodcunque operae in quacunque re collocabimus. Itaque nihil fugiemus studiosius, quam ut ne ad aetatis nostrae, hoc est frivolae, modulum exigamus quidquid in terris, alio

sole calentibus, ex illâ perenni rerum omnium effectrice Naturâ ad sanctioris aevi homines prolixe transmissum, traditumque antiquitus, fabularum commendatione etiamnum servatur. Neque enim hoc ipsum, quod Dei beneficio debemus, deleri potuit prava interpretatione eorum, qui nescire videntur, quid sit illud, quod apud philosophum est, alte spectare. Nos vero recordemur, quidquid in veterum religionibus primarium est, ab iis esse profectum, quorum animus, abjectâ terrenarum rerum egestate et miseriis, sublime tendere mature didicisset.

Et hoc tenendum prae ceteris est in Bacchicis rebus Orphicisque. Quarum argumentum quo gravius debet judicari, eo magis faciendum est, ut earundem fontes rite eruantur. In iis et ea sunt, quae hodieque habentur, ut Hymni Homerici, itemque Orphici, Euripidis Bacchae, Sophocleae quaedam fabulae et Dionysiaca Nonni. E rerum autem scriptoribus haud pauci, in his Diodori Siculi mythologica et Indica Arriani.

Plurima tamen perierunt, eaque ex omni genere, ut ex epico fortasse Neoptolemi Dionysias (Athen. III. 82. d.), ex eodem Dionysus Euphorionis, Dionysii Bassarica (Meursius ad Helladii Chrestom. Pag. 30. 56.) et Bacchica carmina Theolyti Methymnaei (Ath. VII. 296. a.). Porro multae fabulae cum Tragicorum, tum Comicorum, variis titulis, ut Διόνυσος Aristomenis, Chaeremonis, Timoclis, Eubuli, ut

Διόνυσοι Epicharmi, Διονυσιάζουσαι Timoclis, porro Βάκχαι Antiphanis, Epigenis, Lysippi, praeterea Σεμέλη Carcini et Diogenis, ipsius etiam Aeschyli Lycurgus, cujus mythi rationes nuper aperuit Zoëga de origine et usu Obeliscorum pag. 206 seqq. et ad Lycurgi Aeschylei imitationem fortasse effictus Sophocleus Pentheus. Fuerunt autem plures fabulae tragicorum, quae Penthei nomine inscriberentur, docente Valkenaerio in Diatribe Euripidea Pag. 16. b, unde non mirum est illius regis eventum in proverbium abiisse. Qua de re monuit Wyttenbachius vir summus in epistolâ criticâ ad Juliani Orat. Pag. 235 ed. Lips.

Ex historicis autem haud pauci res Bacchicas explicuerant, ut in Lydiacis Xanthus, aliique qui Lydiaca condiderant, nec minus ii, qui res Thracias, conjunctissimas cum Bacchicis, narraverant, ut Theopompus in historiis Philippi, porro Pherecydes Lerius, qui praeter ea, quae in majore libro narraverat, Bacchica festa descripserat peculiari opere, ut est apud Suidâm s. v. Φερεκ., ex quo profecisse putandi sunt, qui postea de certaminibus Dionysiacis scripsere, ut Aristoteles et peripateticus Dicaearchus (Jonsius de scriptor. Hist. philos. I. 16. 3.). E rerum tamen scriptoribus praecipuus hac in re est Dionysius Milesius, cujus cyclum historicum in Bacchicis rebus enarrandis prae ceteris sequitur Diodorus Siculus (Lib. III. et IV.).

Philosophos denique in hac fabula explicanda operam suam collocasse cum aliunde constat, *) tum ex Eudociae Violario Pag. 71, ubi Arignote illa Pythagorea librum condidisse traditur, qui inscriberetur Βακχικά.

Quorum poëtarum scriptorumque integra si exstarent opera, melius nobiscum in his rebus actum foret, neque discurrendum nobis esset per disjecti quasi corporis membra, aut trepidandum circa confusa saepe Graeculorum commentaria.

Sed paratis utendum est. Quod quam parum in hâc quidem caussâ adhuc ab iis factum sit, qui in fabularum rationes inquisiverunt, nemo paullo doctior ignorat. Et jacent, ut hoc utar, Dionysiaca Nonni situ squaloreque obsita. Nonnum autem cum dicimus, nequaquam sumus ii, qui caecutiamus ad vitia quae hic poëta, sive suâ sive aetatis culpâ, contraxerit, neque magis illud nunc dicimus, eum in deliciis fuisse Angelo Politiano, Marco Antonio Mureto Josephoque Scaligero, et nuper etiam Godofredi Hermanni, doctissimi harum rerum arbitri, laudes meruisse a metricâ ratione ob numeros et rotundos et elegantes **): hoc nunc agimus, ut reputetur, absque hoc doctissimo veterum poëtarum imitatore permulta nos nescire cum in universâ re mythicâ, tum vero praecipue in

*) Quae sua quaeque loco deinceps ponentur, sicubi disputationis ordo tulerit. Neque hoc loco repetere volui, quae ad Apollodorum III. 5. occupavit vir summus Heynius.

**) Orphica ed. Hermanni Pag. 690 seq.

Bacchicis. Panditur enim spatiosus harum rerum, quâquâ patet, circuitus quadraginta amplius ejus poëtae voluminibus. Illud denique in eo homine memorabile, eum, qui Christianorum sacra amplexus esset, non haec solum carmine commendasse, cum Johannis Evangelium ad epicos numeros redigeret, verum etiam ea cecinisse, quibus ethnicarum religionum summa contineretur.

Ac de Nonno satis dictum videtur esse: superest, ut de consilio nostro dicamus. Quod paucis explicabitur. Tractandum enim nobis sumsimus hunc ipsum mythum, qui de Baccho est. Quod ut recte fiat, neque vago et quasi erratico lapsu feratur disputatio, consultum duximus, ex infinito rerum Bacchicarum, et, quae inde pendent, Orphicarum argumento certos locos seligere, deinceps, si Deus hoc dederit, a nobis excutiendos.

Horum locorum jam ordinem ducat ille de vasis sacris praecipue de poculis cum Bacchicis Orphicisque tum mysticis aliis.

Cujus rei examinandae nemo quisquam scriptorum uberiorem materiam praebet, quam Athenaeus, cujus e libris undecimus totus versatur in poculis reliquisque vasis. Quae quidem disputatio, sicut gemina illa Macrobii in Saturnalium Libri quinti capite XXI, e quo communi fonte fluxerit, hodie nescimus, vide Schweighaeuseri Notam ad Athenaeum Tom. VI. pag. 129. Athenaei enim editione parandâ cumulum addidit ille vir eis virtutibus, quibus ipse humanitatis studia mirifice adjuvit, eâque jam ad umbilicum adductâ merito laetatur et patria Germania et quaecunque reliquae terrae bonarum literarum luce nondum prorsus destituuntur. Ab eo viro gaudeam edoceri, si ei secus videatur, ubi ab ejus auctoritate meum judicium sejunxero.

Ordiamur ab eo poculorum genere, quod antiquissum esse ipse docet Athenaeus, unde deinceps uberius disputandi nascetur materies. Locus autem est hujusmodi: Lib. XI. Cap. 51 init.

Τὸς πρώτυς λέγεται τοῖς κέρασι τῶν βοῶν πίνειν ἀφ᾽ ὃ τὸν Διόνυσον κερατοφυῆ πλάττεσθαι· ἔτι τε ταῦρον καλεῖσθαι ὑπὸ πολλῶν ποιητῶν. ἐν δὲ Κυζίκῳ καὶ ταυρόμορφος ἵδρυται.

Huc egregie facit Nonni locus Dionysiacorum Lib. XII. pag. 348. 11 ed. Hanov. ubi de Satyris ita:

Καὶ βοέοις ἀρύοντο κεράεσσιν ἀντὶ κυπέλλων·
Μήπω φαινομένων, ὅθεν ὕστερον ἐξέτι κείνου
Θέσκελον ὄνομα τοῦτο κεραννυμένῳ πέλεν οἴνῳ.

Ad quos versus, praeter Athenaeum h. l. Eustathium ad Iliada (XIII. pag. 833.) et Scholiasten l. l. commode in rem advocavit Falkenburgius p. 1330.

Unde ipsum Bacchum apte fingit idem poëta prô poculo cornu gestantem Dionysiac. XIV. pag. 401.

Λαιῇ μὲν κέρας εἶχε βεβυσμένον ἡδέος οἴνου
Χρύσεον εὐποίητον — —

De re non est, quod h. l. moneamus post ea quae congessit de Rhoer in Feriis Daventriensibus pag. 68, quem citat Boissonade, vir doctissimus in Addendis in Athen. p. 497 ed. Schweigh. Consulendi praeterea hac in caussâ sunt qui nuper de cornibus aureis disputarunt, in Jutiâ repertis.

Cornuum autem eum usum postea quoque barbaris placuisse discimus cum e Xenophontis testimonio in Anabasi, qui eum Thracibus tribuit, tum e Theopompo, qui similia de Paeonibus, libro secundo Philippicorum, citato apud ipsum Athenaeum XI. pag. 264.

Pergit Athenaeus l. l. pag. 261, ἔτι τε ταῦρον καλεῖσθαι (τὸν Διόνυσον) ὑπὸ πολλῶν ποιητῶν.

Schweighaeuserus perperam corrigendum censet ταυρωπὸν, hoc addens in animadversionibus: assimulari quidem tauro a poëtis Bacchum, ipso Athenaeo referente, quinam sint vero poëtae, qui rectâ tauri nomine indigitaverint Bacchum, sibi non esse compertum.

Illud quidem bene, quod deinde videbimus: hoc non item. Nam rectâ ταῦρον (taurum) Bacchum vocavit Lycophron in Cassandrâ pag. 42 ed. Stephan. Locus autem sic habet:

— — ὦ ποτ' ἐν μυχοῖς
Δελφινίῳ παρ' ἄντρα κερδῴου θεοῦ
Ταύρῳ κρυφαίας χέρνιβας κατάρξεται
Ὁ χιλίαρχος τοῦ πολυρραίστου στρατοῦ.

Ad quos versus bonae frugis plena adfert Tzetza, cujus locum integrum adscribam, tum quo maculas inde abstergam, tum quia is latuit Euripidis interpretes:

ταύρῳ· τῷ Διονύσῳ, ὅτι κερατοφόρον αὐτὸν γράφουσι, ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Βάκχαις· καὶ πρόσθε μὲν ταῦρος ἡγεῖσθαι δοκεῖ.

Respicit Tzetzes Euripid. Baccharum versum 918, quo ad Bacchum ita Pentheus: καὶ ταῦρος ἡμῖν πρόσθ' ἡγεῖσθαι δοκεῖς, καὶ σῷ κέρατε κρατὶ προσπεφυκέναι, ubi nemo quisquam receptam lectionem spreverit ob istam quam Tzetzes profert: Pergit hic l. l. στασίμβροτον (leg. Στασίμβροτος) δὲ καὶ Διόνυσον αὐτὸν καλεῖ, ὅτι κερατοφόρος ἐξελθὼν τὸν Διὸς μηρὸν ἔνυξεν. Stasimbrotus hic est Thasius de quo Plutarchus Tom. I. p. 440. III. 204. locumque, dubitari nequit, desumtum esse ex

ejus libris περὶ τελετῶν, qui laudantur ab Etymolog. magn. s. v. Ἰδαῖοι, ubi Στησίμβροτος dicitur. Pertinent autem haec ad mysteria Bacchica, quod et continuo intelligitur ex his quae subjicit Tzetzes: κρυφαίας χέρνιβας, ὅτι ἐν παραβύστῳ (lege: παραβύστῳ in recessu) τὰ μυστήρια τοῦ Διονύσου ἐτελεῖτο. Recessuum autem in mysteriis mentionem non est cur explicemus. Solemnis eâ in re erat vox μυχοὶ, qua Lycophron utitur, allegorice deinde accepta à Graecorum philosophis, ut a Pherecyde Syrio, qui eandem sic usurpaverat in suâ theogonia, quod discimus e loco Porphyrii de antr. Nymphar. Cap. 31. ubi in theologicis Pherecydeis commemorantur et μυχοὶ et ἄντρα. Antrorum mentio praesertim in Bacchicis rebus frequentatur, cum apud poëtas rerumque Scriptores tum in artis operibus. Atque in arcâ Cypseli conspiciebatur illud antrum Nysaeum in quo Bacchus nutritus ferebatur, Pausan. V. 19, inde in aliis monumentis, ut in Sarcophago Romano vid. Boettigeri Museum archaeol. Tab. IV. V. Eam in rem classicus est locus ipsius Athenaei Lib V. pag. 292., cui nuper medicinam pararunt eruditissimi duumviri Lenzius in Matthiae Miscellan. philolog. Tom. II. pag. 174. et Jacobsius in Spicilegio observationum et Emendatt. ad noviss. Athenaei editionem pag. 25 seqq.

Caeterum quod a Tzetza Stasimbroto, vetusto sane scriptori tribuitur ista Etymologia nominis Διονύσου, quam deinde Cornutus, Heraclides, Eudocia alii ad nauseam decantarunt: est hic locus ex iis, unde appareat, insanum istud etymologiarum captandarum studium nequaquam esse sequioris demum

aetatis, sed eidem jam vetustissimos aeque indulsisse. Quae res vulgo parum tenetur. Illuc revertar. Laudat Antoninus Liberalis Cap. 10. Nicandri locum ex ἑτεροιουμένων libro quarto, in historia Minyadum, de Baccho irato: πρὸς δὲ ταῦτα χαλεπήνας ὁ Διόνυσος ἀντὶ κόρης ἐγένετο ταῦρος, καὶ λέων καὶ πάρδαλις, quem locum nuper tractavit Bastius lettr. critiq. p. 85. seq. De eodem deo insuper Cornutus Cap. 30: διὰ τὸ ἑαυτὸν εἶναι τὸν τράγον (hircum). Caeterum idem Lycophron pag. 52 Hectorem quoque ταῦρον vocat, quod Tzetzes explicat θυμικόν. Similia profert Philostrati Scholiastes ad Heroica pag. 120. ed. Boiss., ubi est Ajax ταυρηδὸν ὑποβλέψας, quod illustrat Boissonade in Annotationibus pag. 499. et, qui ibi laudatur, Wyttenbachius in epistolâ crit. pag. 46.

Atque sicut Lycophron Hectorem iratum, Jon autem vetus poëta apud Athenaeum II. 2. p. 134 et Nicander iratum Bacchum tauro similem finxerunt, ita Nonnus Dionys. XXXII. p. 808. 13. eundem deum, tanquam furiosum ita exhibet

— — ἀμφὶ δὲ πέτραις
οἰστρομανὴς ἅτε ταῦρος ἑὰς ἤρασσε κεραίας
τρηχαλέον μύκημα χέων λυσσώδεϊ λαιμῷ.

Unde et hoc patet, e quibus fontibus haec sua duxerit Nonnus et quantopere idem, cum seculi sui tum suo vitio, in his ornandis modum excedere soleat.

Quod autem cornutum pingi Bacchum dicit Tzetzes, pertinet ea res ad permulta monumenta antiquitatis, vid. Philostrati Imagines Lib. I. Cap. 15. coll. Museo Pio Clement.

X. 3. indeque Hirt in pictur. collect. libro p. 78., et notissimi sunt tauri Dionysiaci in veterum numis, ut cornutus Bacchus in iisdem, docente Ezech. Spanhemio de usu et praest. Numism. pag. 357.

Ac tauri formam in Baccho varie explicuerunt cum veteres, veluti Diodorus IV. p. 212, tum recentiores, Aegyptiacam praecipue spectantes originem. Indicas autem religiones ei rei locum fecisse, persuaderi sibi patiatur qui legerit, quae de Indorum deo Siva, sive Mahadeva, unde Bacchica sacra effloruisse videntur, ejusque tauro tradunt et Paullinus et Jones in Commentationibus res Asiae illustr. Tom. I. pag. 213. Patuit autem ea res per plures Asiae veteris religiones, quo et Persarum taurus princeps rerum genitor pertinere videtur conf. Zendavesta Tom. II. Part. I. pag. 89 ibique Kleukeri not.

Videamus de reliquis Athenaei: καὶ τῶν ποιητῶν δὲ πολλοὶ παράγουσι πίνοντας τοὺς ἀρχαίους κέρασι. Πίνδαρος μὲν ἐπὶ τῶν κενταύρων λέγων·

Ἀδάμαν δ' ἐπεὶ Φῆρες
δάεν ῥιπὰν μελιηδέος οἴνου
ἐσσυμένως ἀπὸ μὲν λευκὸν γάλα
χερσὶ τραπεζᾶν ὤθεον, αὐτόματοι δ' ἐξ
ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο.

Quos versus disposuit Hermannus vid. Pindari Fragm. LX. pag. 111 Heyn. Pro ἀδάμαν Jacobs, spicil. Observ. in Ath. p. 65, tentavit ὀδμάν. Pertinent autem Pindarica haec ad

res Bacchi, nisi malis ad Pirithoi nuptias vid. Heynii Observv. ad Apollodor. pag. 147. Etenim Bacchus vini cadum Pholo Centauro dederat, ut servaretur in Herculis adventum. Eam rem et Stesichorus cecinerat in Geryonide, laudatur ab Athenaeo nostro XI. p. 499 Cas. p. 352 Schweigh. *).

Ex iis fere fontibus sua vireta irrigasse existimandi sunt Diodorus Siculus. IV. 12 et Theocriti Scholiastes ad VII. 149 seq. Ex hoc quidem intelligitur, in his tradendis non nihil variasse veteres. Ejus loci partem subjiciam, in quo vereor, ne Reiskius p. 122 leviora menda abstergens graviora reliquerit, quin etiam integriora depravarit: — *Χείρων καὶ Φόλος, ὑφ᾽ οὗ ξενισθέντα τὸν Ἡρακλέα φασὶ πολλοί. Ὁ μέντοι οἶνος ὁ δοθεὶς ὑπὸ Διονύσου* (recte editiones pro *Διονυσίου*, quod vitium non moramur quippe obvium in multis scriptorum locis) *χαριστήριον, ἀνθ᾽ ὧν Νάξον προσένειμεν ὁ Φόλος, κρινομένου παρ᾽ αὐτῷ εἰς τὸν Ἥφαιστον.* Equidem extrema sic refingenda censeo, insistens vestigiis antiquae lectionis: *κρινόμενος. Ὁ μέντοι οἶνος ὁ δοθεὶς ὑπὸ Διονύσου, (χαριστήριον ἀνθ᾽ ὧν Νάξον προσένειμεν ὁ Φόλος) κρυπτόμενος παρ᾽ αὐτῷ εἰς τὸν Ἡφαίστου* (intell. *πίθον*), hoc sensu: Vinum illud Herculi nunc datum a Pholo, hunc (Pholum) quondam a Baccho dono accepisse, jamque hoc idem conditum latuisse in Vulcani cado. Diodorus l. l. *Φόλος ἦν Κένταυρος — οὗτος ξενίοις δεχόμενος τὸν Ἡρακλέα, τὸν κατεχωσμένον οἴνου πίθον ἀνέωξε. τοῦτον γὰρ μυθολογοῦσι τὸ παλαιὸν Διόνυσον παρατεθεῖσθαι*

*) Alium locum Orphici in Argonauticis, qui est de Pholoe et Centauris nuper egregie expedivit Huschkii doctrina in Comment. de Orphici Argonaut. p. 25.

τινὶ κεκτασέρῳ καὶ προστάξαι τότε ἀνοῖξαι, ὅταν Ἡρακλῆς παραγένηται. Illud autem εἰς τὸν Ἡφαιστοῦ pro εἰς τὸν Ἡφαίστου peperit ignorantia librarii qui nesciret quoties κύλιξ, κρητὴρ similiaque solenni Ellipsi omitterentur. Unum exemplum sufficiat ex ipso Athenaeo afferendum, ubi Lib. X. τὴν μείζον' ᾔτησεν sc. κύλικα, quod Cicero in Verr. Action. I. 26, sic effert: poscunt majoribus poculis.

Illuc revertor: in illis Νάξον προσένειμεν ὁ Φόλος nihil equidem tentavi. Tamen haud scio an ibidem lateat quidpiam, fortasse expediendum ope numorum, in quibus Bacchus conspicitur a Centauris bigis vectus, v. c. in Cyzicenis apud Eckhelium Doctr. Num. Vet. II. 451, in numis Lydiae Ibid. III. 94. In Naxiis autem Bacchus saepius cum diotâ vid. ibid. II. 333, cum cantharo ap. Begerum Thesaur. Brandenburg. I. 432. Utrum vero Cantharus (κάνθαρος) differat a diotâ licet quaerere, et quaesivi alias in eo libro cui titulus Studien, quem Daubius noster mecum edendum curat II. p. 323, ubi oblocutus sum Villebrunio minus subtiliter disputanti ad Athen. XI. 47.

Ex illis autem Pindari, Stesichori, Theocriti locis iterum colorem duxit Nonnus XIX. p. 516, apud quem et ipse Bacchus dicitur craterem, affabre effectum a Vulcano, et ab hujus uxore Venere sibi dono datum, tanquam tripudii praemium constituere. Consimilis ratio in iis est, quae apud eundem ibidem sequuntur de altero cratere, hederaceis racemis circumdato vid. Theocrit. I. 27. ibique Valkenaer. A quo poëta jam antea profecerat Virgilius Eclog. III. 36.

— — pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimendontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos edera vestit pallente corymbos.

Notum est autem, ut hoc obiter addam, a κισσῷ (hedera) dictum esse peculiare poculorum Bacchicorum genus κισσύβιον (cissybium), Athenaeus XI. 53, qua in re lapsus est parum doctus operum in Museo Napoleonis asservatorum interpres Radelius, notatus a me in Studiis pag. 262.

Revertor ad vasculum a Baccho Centauro datum. Quod Ἡφαίϛε dicitur peculiari significatu, quippe quod ille a Vulcano, quem hospitio excepisset in Naxo insulâ, dono ferebatur accepisse. Eam rem simulque diversam quandam ejus vasis historiam succincte narrat Homeri Scholiastes ad Iliad. XXIII. 92: unde discimus: Dionysum, qui Vulcanum in insulâ Naxo hospitio excepisset, ab hoc donatum esse vase aureo, quod Dionysus, postquam Lycurgi Thracis minas fugiens apud Thetidem latuisset (vid. Iliad. VI. 130. Triclin. ad Sophoclis Antigon. 955) huic dono dederit, quae hoc ipsum Achilli filio suo tradiderit; quare postea hujus cineres eodem vasculo conditi, cf. Scholiast. Venet. Villoisoni ad l. l. qui hujus rei Stesichorum auctorem laudat. Cyclicos quoque poëtas haec eadem attigisse, e Quinti Calabri et Tzetzae carminibus probabile reddidit Heynius Observv. ad Homer. Tom. VIII. pag. 376, qui insuper monstravit scriptorum hac in re discrepantiam, quorum alii ollam dicunt quod aliis arca est,

Hinc lucem accipit Lycophron Cassandr. 273, ubi de Achille: Κρατῆρα Βάκχου δίσεται, κεκλαυσμένος, conf. Scholiasten ad h. l. qui eandem rem fusius narrans, praeter Patrocli cineres, insuper et Antilochi ossa in eo vase condita tradit. Parum accurate, vid. ipsius Homeri locum Odyss. XXIV. 73.

Celebratur denique in rebus Bacchicis λέβης (lebes s. ahenum). Ferebatur enim hujusmodi λόγος ἱερὸς: ejus dei membra a Titanibus discerpta conditaque in lebete Apollini tradita fuisse, postea vero a Rheâ rursus collecta sciteque composita. Eam rem in tragoediis fuisse exhibitam credibile fit narratione Hygini fabul. p. 167 ed. Staveren. Notum est enim, ab hoc scriptore tragicos in his ipsis rebus expressos esse.

Huc etiam facit Tzetzes ad Lycophron. pag. 43: οἱ Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη, ἃ ἐσπάραξαν, Ἀπόλλωνι ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο, ἐμβαλόντες εἰς λέβητα. ὃ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι παρέθετο ὥς φησι Καλλίμαχος, καὶ Εὐφορίων λέγει· ἐμπυριβάκχοις δῖον ὑπὲρ φιάλην ἐβάλλοντο.

His lux affunditur ab Athenaeo Epitom. Lib. II. 6. pag. 144 seq. Ἦν γὰρ τὸ ἀρχαῖον δύο γένη τριπόδων οὓς καλεῖσθαι λέβητας συνέβαινεν ἀμφοτέρους· ἐμπυριβήτης ὁ καὶ λοετροχόος. Sequuntur Aeschyli itemque Homeri versus, quibus haec subjicit Athenaeus: καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀληθείας [οἰκεῖος] τρίπους. διὸ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος, διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν· Διονύσου δὲ διὰ τὴν ἐν μέθῃ κ. τ. λ.

His gemina leguntur libr. XI. Cap. 103 p. 361. seq. *), ubi de phialâ agitur, e quibus haec sola adjiciam; καθότι καὶ λέβητα καλεῖ ὁ ποιητὴς τὸν μὲν ἐμπυριβήτην, τὸν δὲ ἄπυρον. Vid. Homer. Iliad. XXIII. 702.

Atque haec adscripsimus Euphorionis caussâ. De quo homine non est quod dicamus post ea, quae Harlesii diligentia e Valkenaerii, Toupii, Wyttenbachii, Heynii observationibus congessit ad Fabric. B. Gr. Vol. I. p. 594. II. p. 304. Feruntur enim permulta celeberrimi quondam poëtae per veterum libros fragmenta. Hoc vero, quod nunc cum maxime occurrit, unde desumtum sit, nemo ambigat, qui ejus Διόνυσον citatum legerit a Stephano Byzantio s. Ἀκτὴ, Λίκαψος et Ὠρύχιον. Hujus autem ipsius libri titulum fortasse suspiceris latere in monstroso illo ἐμπυριβάκχοις quippe quod emendandum sit in ἐν τοῖς περὶ Βακχίων de rebus Bacchicis; ita ut haec Tzetzae sint, non Euphorionis. At vero si reposueris ἐμπυριβήτην, facile in his universis agnoscas clausulam duorum hexametrorum, quorum prior desierit in:

— — ἐμπυριβήτην

(in quo desinit ipse ille Homericus, supra a nobis laudatus) alter autem in:

*) Quem locum, sicut reliquos Athenaei, in suam rem adhibuit Wyttenbachius in egregiâ illâ disputatione, qua Phialae usum hunc in pincernae ministerio monstrat, ut sit pro ollâ planiore ac latiore Annotat. ad Select. Historiar. pag. 375. Ibidem, pag. 390 illustratum legas locum alium, sed ejusdem fere argumenti Xenophontis in Anabas. IV. 5. 2, cui vir graece doctissimus Schaeferus nuper medicam manum admovit in Meletemat. crit. Part. I. pag. 104.

— — ὑπὲρ φιάλην ἐβάλοντο.

In illo διον autem reliquum sit vestigium vocis Διόνυσον.

Illuc revertar. Fabulam de Baccho, a Titanibus discerpto, varie interpretati sunt veteres cum Grammatici tum philosophorum haud pauci. Ad vini a rusticis calcandi similitudinem eam traduxit allegoriarum amans Cornutus de Nat. Deor. Cap. XXX, cujus locus in vitio est: Μυθολογοῦσι δ' ὅτι διασπασθεὶς ὑπὸ τῶν Τιτάνων συνετέθη πάλιν ὑπὸ τῆς Ῥέας, αἰνιττομένων τῶν παραδόντων τὸν μῦθον, ὅτι οἱ γεωργοὶ, θρέμματα γῆς ὄντες, συνέχεαν τοὺς βότρυς καὶ τοῦ ἐν αὐτῷ Διονύσου τὰ μέρη ἐχώρισαν ἀπ' ἀλλήλων, ἃ δὴ πάλιν ἡ εἰς αὐτὸ σύῤῥευσις συνήγαγε, καὶ ἓν σῶμα ἐξ αὐτῶν ἀπετέλεσε. Exscripsit haec Eudocia in Violario pag. 121 in Villoisoni Anecdot. I. Neque tamen ibi quidquam praesidii. Galeum quidem missum faciamus cum sua conjecturâ ἔνοντος: Galeani codicis vestigia sequemur ἔναντι. Confidenter lege: καὶ τοῦ ἐναντίου Διονύσου τὰ μέλη et adversarii sui Dionysi membra disjecerunt. Pertinet enim haec res ad Τιτανομαχίαν, in quâ singuli Dii Titanibus adversabantur. Μέλη autem continuo reponendum esse censeat, qui cogitet proprie hac de fabula et μελοκοπίαν dici et διαμελισμόν. Sunt autem mythica haec inserta philosophicae explicationi.

Quae de Rheâ sequuntur ea lucem accipiunt e Scholiis Venetis Villoisoni ad Iliadis XV. 18. e quibus intelligitur haec ipsa philosophematibus locum fecisse. Mysticam autem nec minus philosophicam sententiam in hac Bacchi μελοκοπίᾳ latere demonstrarunt etiam Orphici, vid. Procli Commentar. in

Platonis Alcibiad. I, in Gesneri Corpore Orphicorum p. 408, ubi Dionysus rex dicitur. Solebant enim theologi antiquorum Indorum in his tradendis famam sequi et celebratur per Indorum aliorumque Asiae populorum fabulas Bacchus, tanquam rex victor triumphalem pompam ducens, quod deinde in Graecos quoque mythos permanavit, ut monstrabimus alias. Nunc ad Proclum revertimur, a quo Apollo pro μονάδι accipitur, sive pro eo, quod tanquam Unum mentis cogitatione concipimus, Titanes contra pro rerum sensuum ope oblatarum et multitudine et varietate. In eandem mentem etiam disputat Olympiodorus Commentar. in Platonis Phaedon. vid. l. l. p. 409.

Atque quando ad Orphica devenimus, ex ipsis, quae Orphei nomine feruntur vel carminibus vel reliquiis carminum patet, quam vim in his sacris habuerit vasorum et inprimis poculorum usus. Et legebatur quoddam carmen peculiare Orphicum, quod inscriberetur κρατῆρες vid. Clementis Alexandr. Strom. Lib. I. pag. 397 Potteri et, qui Clementem exscripserunt, Suidas s. Ὀρφεύς et Eudocia in Violar. pag. 318, qui in recensendis Orphei carminibus et κρατῆρας commemorant, hoc addentes: ταῦτα Ζωπύρου φασί. E quibus compilatorum testimoniis Clementi medicinam paravit Reinesius Var. lect. III. 3, τὸν κρατῆρα ponens, pro corrupto Κρατῆτα. Idem eidem reddidit τριαγμοῖς pro τριγράμμοις, sicuti in Suidâ pro τρισσομοὺς reposuit τριαγμοὺς Graevius notâ mscr. in margine exempli, quod in bibliothecâ hujus urbis academicâ asservatur. Quod vero idem ibidem, pro ἱεροστολικὰ in Suidâ ten-

tavit ἱερογλυφικὰ: speciosa quidem ea conjectura est, vera non item. Verum exhibet Eudociae l. l: ἱεροστολικὰ, nisi malueris ἱεροστολιστικὰ, a στολίζω amicio, quod apud Euripidem est in Hecubâ 1130, ut libri cogitentur, quibus sacrorum vestimentorum cura ratioque explicetur. Horum autem usus quam vim cum in Orphicis tum in reliquis mysteriis habere soleat, nemo quisquam ignorat; et στολίστης dicitur unus e sacerdotibus Aegyptiorum in loco simillimo Clementis Alex. Strom. VI. 4. pag. 758.

Ex Orphei, qui ferebatur, crateribus insignem locum laudat Johannes Diaconus Allegoriar. in Hesiodum pag. 305. 9, qui nunc in Orphicis habetur pag. 486. Hinc discimus, bipartitum fuisse illud opus κρατήρων, cum Diaconus ita laudet: μαρτυρεῖ ἐν τῷ μικροτέρῳ κρατῆρι Ὀρφεὺς τάδε λέγων. Sequuntur versus, in quibus etiam ταυρογενὴς Διόνυσος, ut hoc delibem, et vero in primis illud:

Ζεὺς δέ τε πάντων ἐστὶ θεὸς, πάντων τε κεράστης.

Ad quem locum commode admonet Gesnerus illius versus hymni orphici XI (10):

κοσμοκράτωρ — — —
— — ἀληθὴς Ζεὺς ὁ κεράστης,

hoc addens: „non dubito, quin haec sit Jovis, quem et Pana vocabant (τὸ πᾶν) descriptio. — Nomen illud, cum derivarent a κεράννυμι misceo, tempero, et κρατῆρα quendam fingerent naturae, deinde symbolo cornuum, quae Pani dedere (κεράτων, unde κεραΐζειν) occultarunt."

Ac, si quaeratur, illius operis Orphici de crateribus, quodnam fuisse argumentum putandum sit, ex his ipsis quae modo posuimus, magis vero iis, quae postea disputabimus, firmatur Eschenbachii sententia, qui in Epigene pag. 62 seqq. docet illo carmine explicatum fuisse mundanae animae reliquarumque animarum et originem et temperamentum (κρᾶσιν), probante etiam J. A. Fabricio in Bibl. Graec. I. 169. Harles.

Jam hoc insuper velimus teneri, ipsum illud fragmentum e crateribus, paullo ante citatum, incipere a mentione Ἑρμοῦ, cui Nymphae adduntur et qui reliqui dii deaeque elementis praesunt. Hermes autem, si quis alius celebratus veterum populorum fama et religionibus. E Phoeniciis quidem sacris ad sacra Samothracia traducta videtur Casmili sive Cadmili notio. Qua de re plura sciremus, si exstarent Aristotelis, Polemonis, Callistrati opera, quibus hae religiones expositae fuisse videantur ei, qui legerit Athenaei locum IX, pag. 372. Dionys. Halicarnass. I. 68. et Scholiast Apollonii I. 922. Nunc Strabonis hac de re narratio primaria est, inserta libro decimo. Casmilum autem, qui in ἱερῷ λόγῳ pro eodem haberetur cum Jaccho, in vulgari fabulâ dictum esse Ἑρμῆν, his ipsis testibus, constat. Ejus λόγου ἱεροῦ mentionem facit Herodotus loco memorabili II. 51, addens, se consulto haec ipsa reticere, in mysteriis tantummodo patefacienda.

Non aeque difficiles posterioris aetatis philosophi, in his Plotinus, cujus hac de re interpretatio legitur Ennead. III.

6. 19. Quem locum leviter maculatum purgabimus: — *μόνον γὰρ τὸ εἶδος γόνιμον, ἡ δὲ ἑτέρα φύσις, ἄγονος· ὅθεν οἶμαι καὶ οἱ πάλαι σοφοὶ μυστικῶς καὶ ἐν τελεταῖς αἰνιττόμενοι, Ἑρμῆν μὲν ποιοῦσι τὸν ἀρχαῖον, τὸ τῆς γενέσεως ὄργανον ἀεὶ ἔχοντα πρὸς ἡ ἐργασίαν, τὸν γεννῶντα δὲ ἐν αἰσθήσει, δηλοῦντες εἶναι τὸν νοητὸν λόγον* (Leg., deleto commate: *τὸν γεννῶντα μὲν.* Sequitur enim alterum membrum *τὸ δὲ ἄγονον.* In sequentibus porro pro: *διδόντες* ponendum jam Ficinus vidit *δηλοῦντες.*)

Haud paullo diversam in his *ἀλληγορίαν* inesse Stoici judicarunt, si fides Cornuto de N. D. Cap. 16: — *ὅτι ἐν τοῖς* (sic legendum) *προβεβηκόσι ταῖς ἡλικίαις γόνιμος ὁ λόγος καὶ τέλειός ἐστιν. ὅς δὴ καὶ τυχὼν τῷ ὄντι ἐστὶ, τυγχάνων ὧν ἂν πρόθηται.* Leg. *προσθῆται* e mscr. et Eudociae Violar. pag. 155. Similiter in antecedentibus legendum est *γενειῶντας τῶν Ἑρμῶν*, in sequentibus vero *κοινὸν εἶναι τὸν Ἑρμῆν* quanquam Eudocia in vitio perseveret. Proverbium notum e Platone, vid. Phaedon. p. 397. Sympos. 316 adde Scholia ed. Ruhnkenii pag. 12 et hujus notam ad Timaei Lexic. Platonicum p. 121.

Illa vero mystica da Mercurio attigit etiam Cicero de Nat. Deor. III. 22, unde lux Herodoto l. l. accenditur, si recte teneatur utriusque loci vis et argumentum. In Ciceroniano omitto monstra vocabulorum, quae librariorum ignorantia peperit: haec sola enotabo: pro lectione Die etiam in uno Codd. Pariss. qui penes me sunt, inveniri: Dia, sicuti etiam in: Phoronidis perseverant libri mei omnes, neque tamen recedendum a sententiâ Davisii. Hujus item judicium de lectione habetur firmat

consentiens codicum, quos vidi, auctoritas. Subjiciamus reliqua Ciceronis utpote conjunctiora cum nostro consilio: „Quartus (Mercurius) Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare: Quintus, quem colunt Pheneatae, qui et (abest a Cod. Uffenbach. et uno Paris.) Argum dicitur interemisse, ob eamque caussam Aegyptum profugisse (profuisse, unde bini Pariss. effinxerunt praefuisse. Falso. Vitii originem monstravit J. Fr. Gronovius ad Taciti Annal. Lib. II. Cap. 59) atque Aegyptiis leges et literas tradidisse. Hunc Aegyptii Thoth (hic rursus in vitio conspirant codices. De hujus vocis scripturâ nunc consulendus est doctissimus Te Water ad Jablonskii Voces. Aegypt. pag. 91.) appellant, eodemque (sic Ernesti, sic item mei codd.) nomine anni primus mensis apud eos vocatur."

Extrema haec ducta videri possunt e loco classico Platonis in Phaedro pag. 340 Heindorf, conf. Phileb. p. 376. Ac de Theutho sive Hermete Aegyptiorum universe dicere non attinet, et otium fecerunt, praeter Kircherum Marshamus in Canone Chron. p. 340 seqq. Jablonskius Panth. Aegypt. lib. V. cap. 8. Herbelotius Biblioth. orient. s. h. v. et qui reliqui sunt plurimi. Quibus nuper accesserunt Zoëga Danus in libro de numis Aegypt. imperator. p. 103. 123 (cf. Biblioth. der alten Literatur und Kunst VII. p. 78.) et in opere de Obeliscis pag. 224 ac passim, denique ingeniosissimus homo Dorneddenius in eo libello, qui inscribitur: neue Theorie der griech. Mythologie pag. 215. E quibus in unum collatis appa-

ret, plures commemorari a veteribus Aegyptiorum Hermetes, quibus singulis tribuatur quidquid in universâ et humanarum et divinarum rerum scientiâ tanquam summum primariumque debeat judicari.

Nos unum advocabimus Clementem Alexandrinum. Commemorat hic, Stromat. VI. 4, pag. 757 loco classico de Aegyptiorum sacris et sapientiâ, Hermetis libros, qui plurimi fuerunt. In quibus laudantur qui inscribantur περὶ κοσμογραφίας, alii περὶ τῆς καταγραφῆς σκευῆς τῶν ἱερέων (de sacerdotum instrumentis et cultu) alii περὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς χρησίμων (de iis quae idonea sunt faciendis sacris), περὶ θυμάτων ἀπαρχῶν (de sacrificiorum primitiis) alii, alii περὶ φαρμάκων (de medicamentis. Et laudat Galenus Hermetis libros de horoscoporum herbis, vid. de simpl. medicament. facultat. lib. VI. cap. 1.) alii denique περὶ ὀργάνων de instrumentis *).

Porro, ut hoc addam, quod vel maxime ad consilium nostrum spectat, in Hermetis Aegyptii libris ferebantur et ii quibus esset titulus Kyranicorum, utpote ad Kyranum quemdam Persarum regem ab auctore transmissi vid. Fabric. Biblioth. Gr. I. pag. 68 seqq. Unde intelligitur Aegyptii herois res cum Persarum rebus pervetustâ famâ conjunctas fuisse.

Neque illud velim praetermitti, in ipso Clementis loco de sacrâ Aegyptiorum sacerdotum pompâ cum σπονδεῖυ mentionem fieri, sive calicis ad libandum, tum ὑδρεῖυ, hydriae

*) De horum librorum ordine recte disponendo varia sunt variorum placita Fabric. B. Gr. I. 84. Novum excogitavit nuper Zoëga de obeliscis pag. 508.

sacrae *), cui quidem ollae Apulejus Metamorphos. lib. XI. p. 374 fundum tribuit rotundum et dilatationem spatiosam.

Atque haec praemonenda duximus, quo via muniretur disputationi de Athenaei nostri loco alio lib. XI. cap. 55. p. 269. eoque conclamato. De eo enim Schweighaeuserus, ubi Casauboni aliorumque pericula exposuit, ingenue ingenuus homo fatetur: „nobis totus locus merae tenebrae, et feliciorem vatem exspectamus."

Eum locum primum emendabimus, unde deinde uberius disputandi cum de ipsius argumento, tum universe de cratere, poculo aliisque vasis, tanquam mundi symbolis, materia nascetur satis idonea. Habet autem ita:

Νικόμαχος δ' ἐν πρώτῳ περὶ [illegible]τῶν Αἰγυπτίων φησί· Τὸ δὲ κόνδυ ἐστι μὲν Περσικὸν, τὴν δὲ ἀρχὴν ἦν Ἕρμιππος ἀστρολογικὸς ὡς ὁ κόσμος

*) Haec ipsa conspicitur in anaglypho Matthaeiano, quod pompam Isiacam exhibet apud. Bartol. admirand. Rom. antiq. Tab. 68. et alios. Caeterum pro ὑδρία in Athenaeo aliquoties ὑδρεία est, observantibus editoribus. Quod vero Johannes Winkelmannus in loco XIII. 55 pro ὑδρίαν conjecit ἕδραν scabellum (vid. Monumenti antichi inediti Tom. II. p. 46), noluit hac de re pronuntiare Schweighaeuserus. in textu Athenaei pristinam scripturam retinens, firmatam omnibus codd. Recte. Et potuit ὑδρία esse Penei symbolum. Ad ejus enim fluminis ripam congestum traditur Laidis sepulcrum, quod h. l. describitur, ita ut hoc commissum posset videri tutelae ejus dei, qui ei flumini praeesset. Ac solebant Graeci hydrias attribuere fluviorum praesidibus diis deabusque, docente Pausania VIII. 664 et hujus auctoritate ipso Winkelmanno ibid. I. 15. Jacobsius autem, qui res Laidis docte explicuit in Museo Attico III. 1, haud meminisse videtur illius conjecturae cum scriberet quae leguntur pag. 189.

ἐξ ȣ̈ τῶν θεῶν τὰ θαύματα καὶ τὰ καρπώσιμα γίνεσθαι ἐπὶ γῆς· διὸ ἐκ τέτȣ σπένδεσθαι.

Omitto aliorum conjecturas, quae non satisfecerunt novissimi editoris perspicaciae, neque satisfacere cuiquam possunt. Latet autem in hoc loco Hermetis Aegyptii mentio, estque ille sic emendandus:

Τὸ δὲ κόνδυ ἐσι μὲν Περσικὸν, τὴν δὲ ἀρχὴν ἦν Ἑρμȣ̃ ἴπνος ἀσρολογικὸς, ὡς ὁ κοσμος, ἐξ ȣ̈ τῶν θεῶν κ. τ. λ.

Nicomachus vero primo libro de festis Aegyptiorum ait: „Condy est quidem Persicum: initio vero erat Hermetis laterna astrologica, mundi instar, ex quâ Deorum spectacula (s. miracula) et fructuum omne genus gigni in terrâ: quare etiam ex illo libari."

Singula explicabimus. Jam primum, quisquis hic fuerit Nicomachus, hoc teneamus, referri ea ipsa e libro, qui esset de festis Aegyptiorum. In eo autem commode mentionem injici Hermetis nemo infitias ierit, qui cogitate legerit, quae supra posuimus. Deinde idem Hermes cum ab aliis, tum a Clemente l. l. dicitur Aegyptiis monstrasse sacrorum instituendorum rationem vasorumque usum ad eas res pertinentium. Quid? idem narrat, ab eodem sacerdote, qui *τὰ ἀσρολογȣ́μενα τῶν Ἑρμȣ̃ βιβλίων* ferret, etiam *ἀστρολογίας σύμβολα* in pompâ portata esse.

Jam illud quoque *μὲν-δὲ*, quod sibi invicem respondet, melius intelligitur: Persicum quidem est condy, sed antiquitus Hermetis fuit. Voluit enim qui, fortasse et ipse Aegyp-

tius, de Aegyptiorum festis ageret Aegyptiis suis hoc inventum vindicari Invaluisse autem fabulam quandam de Hermeticis inventis ad Persas traductis credibile fit ex iis, quae ante monuimus de Hermetis libris Kyranicis.

Atqui in Persarum sacris libris, qui hodieque supersunt, commemoratur vastus quidam crater, qui purgandis cum hominibus tum utensilibus sacris inserviat, formâ orbiculatâ, qui et Avand et Konri dicatur *) Qui nec vocabuli sono abhorret a vocabulo κόνδυ, nec vero specie a σπονδείῳ Aegyptiorum; cui Appuleji fide rotundum fundum tribui vidimus.

Hactenus de levioribus: graviora persequamur. Pleni nimirum non Persarum modo verum etiam reliquorum orientalium libri sunt fabularum, de sacro quodam vase, quod a Dschemo, antiquissimo Persarum rege inventum dicitur, cum in eo esset ut Persaepolis fundamenta jaceret, quo ipso vase idem monstrarit astrologiae rationes rerumque naturalium universam scientiam, et incredibilia multa perfecerit **).

*) Vid. Zendavesta Vol. I. 3. p. 205. ed. Klenkeri ubi ejus vasis figura exhibetur aeneae laminae ope expressa cf. Appendic. ad eum librum Vol. II. Nr. 230. In eo tamen fallitur Klenkerus V. C. quod a Polluce dicit Persicum poculum vocari τὸ κόνδυ. Dicit enim καππαδοκικόν.

**) Vid. Herbelot Biblioth. orient. s. v. Giam: Giam en Perse signifie une coupe, ou verre à boire et un miroir. Les orientaux, qui fabriquent cette espèce de vases ou ustenciles de toutes sortes de metaux aussi bien, que de verre ou de crystal, et en plusieurs figures differentes, mais qui approchent toutes la Sphérique, donnent aussi ce nom à un globe céleste. Ils disent, que l'ancien Roi Giamschid, qui est le Salomon des Perses et Alexandre le

Jam vero quibus laudibus Dschemum Persae afficiunt, tanquam summum vatem artificemque, earundem reliqui orientales participem faciunt et Josephum *) et Salomonem et Alexandrum magnum, quos ipsos ejusmodi vasis mirificis usos esse fingunt.

Vasa vero dicimus universe. Etenim non in personâ solâ variant orientalium hominum fabulae, sed etiam in ejus instrumenti peculiari et habitu et usu, quippe quod nunc ab iis pro poculo habeatur, nunc pro globo, speculo et vero etiam pro pharo, quae ignibus suis omnia, quaqua versus pertineant, collustret. In hoc uno inter ipsos convenit, quod idem illud orbiculatâ sive sphaericâ figurâ sit, inque spatiosam dilatationem pateat, ut vocabulo Appulejo utar.

Quae varietas facile explicatur, si cogites, κόνδυ proprie esse γλύμμα cavum quodpiam, vid. Hesych. s. v. quocum congruit κρατῆρος propria significatio apud veteres graecos, quibus

Grand, avoient de ces couppes, globes, ou miroirs, par le moyen desquels ils connoissoient toutes les choses naturelles, et quelque fois même les surnaturelles cf. eundem s. Giamschid. Atque in Persaepolitanis monumentis hodieque conspicitur vas sacrum sinistrâ gerens rex, uti quidem videtur, apud Niebuhrium Tab. XXIX et Chardinium Tab. LXIII. Quod illustravit ex Herodoto Heerenius in libro cui titulus Ideen etc. pag 318 ed. alter. Quâ in re τὸ κόνδυ in memoriam revocat Barnabas Brissonius de regio Pers. princip. p. 378. Athenaei nostrum locum, sed omissis obscurioribus, citavit Herderus in eo libro qui inscribitur die Vorwelt pag. 73, in quo multa disputantur de Dschemo Persarum rege, subjecto quoque ad calcem carmine ejusdem argumenti.

*) Vide locos modo a nobis laudatos. In Josephi quoque historiâ Genes. 44. 2. sicut in Esajae vaticiniis 51, 17. 22 voce κόνδυ utuntur LXX. interprett. docente Casaubono ad Athen. l. l.

hoc nomine omnia concava veniebant *) vid. Meursii not. ad Lycophron. p. 155. Atqui, ut conficiamus, quod volebemus confici, illud ipsum ἴπνος, quod in extremo vocabulo Ἕρμιππος inesse dixi, nihil aliud nisi laterna est **). Jam quantopere laterna Astrologi sive Magi personae conveniat, quaeque similitudo pharum inter et laternam intercedat, putidus sit, qui copiose velit demonstrare, et, sicut Josepho, Aegyptii regis famulo, speculum astrologicum et globum tribui vidimus, ita inter Hermetis Aegptii utensilia astrologica numeratur ὡρολόγιον a Clemente, loco saepe laudato, ut ne ea repetam, quae supra posui de Hermetis apparatu sacro reliquo.

Habemus igitur in loco scriptoris, qui et ipse fortasse Aegyptius, Aegyptiaca certe sacra illustravit, Aegyptii herois Hermetis, qui sacrorum vasorum usum monstrasset, vas sacrum sphaericum, cui et laternae nomen est, ad Persas tra-

*) Consimilis, ratio est in eo poculo, quod σκάλλιον dicitur a σκάλλω i. q. σκάπτω fodio, cavo, igiturque lignum excavatum in usum poculi vid. Casaub. ad Athen. XI. 98, quo ipso calice Aeoles libasse apud hunc tradit Philetas ἐν Ἀτάκτοις, vid. Kayseri nostri editionem hujus poëtae fragmentorum p. 81. Ex iisdem Philetae libris plura de poculis affert Athenaeus, quae collecta praestat Kayseri diligentia p. 76—81.

**) Vid. Hemsterhusium ad. Aristophan. Plut. 816, ubi Cyrilli laudatur testimonium praecipientis, ἰπνὸς et ἴπνος differe solo tono, ut illud furnus sit, hoc laterna. Nec hoc abhorret ab Hermetis personà, ad quem medicinae primordia referrent Aegyptii. vid. ll. ll. Hoc tamen in nostro quidem loco praeferendum.

ductum, quorum antiquissimus heros Dschemus et ipse nunc sphaerâ nunc [illegible]ernâ magicâ usus esse perhibetur.

Quandoquidem satis firmata emendatio est, paucis explicabo, quomodo corruptela locum invaserit.

Celeberrimus fuit Hermippus peripateticus, qui Plinio teste de totâ arte magicâ accuratissime egerat *), quique Callimacheus dicebatur nullam aliam ob caussam, nisi quod in arte grammaticâ Callimachi rationem esset secutus. Jam cum in hoc ipso libro Athenaei undecimo Hermippi comici frequentatur nomen, qui p. 192, 300 et passim in rem advocatur, ecce continuo exortus est sciolus quidam, sive librarius sive scholiastes, qui et hoc loco nobis obtruderet nomen Hermippi, ita quidem ut illud ἀστρολογικὸς ad hunc ipsum traheret, quo certius scilicet Athenaeus eum distinctum vellet ab ejusdem nominis poetâ, cujus testimonio aliquoties usus esset Deipnosophistes.

Illud ἴπνος denique quam facile potuerit depravari in ἵππος, eo magis intelligitur, quo plura ejus confusionis exempla reperiuntur. Sic, ut hoc Callimacheo loco in Callimacheo homine utar, in eis Fragmentis Nr. CCXVI illud Suidae ἴππια

*) Plinii locus est H. N. XXX. 2 adde Jonsium de scriptoribus Hist. philosoph. Lib. II. Cap. 9. p. 193. Dorn. qui praecipue laudari debebat, arguit enim errrois J. G. Vossium in ejus hominis aetate constituendâ. Eundem pro impostore habet Hyde de religione vett. Persar. quocum non usquequaque consentit Kleukerus vir eruditissimus idemque venerandus theologus Zendavest. II. 85. 278. Praeter Hermippum, Aristoteles, Xanthus, Eudoxus Magica conscripserant aliique, de quibus Tiedemannus in Commentat. de art. magicar. orig. p. 18 etc.

λύματ' in errorem induxit summos duumviros Davidem Ruhnkenium et J. A. Ernestum, cum unice verum sit ἴπνια ab ἰπνὸς, docente Toupio Emendatt. in Suidam part. II. p. 178. ed. Lips.

Ac quoniam in eam disputationem devenimus, juvat in medium proferre et scriptoris testimonium de libaminibus Hermeti, s. Mercurio oblatis, et vero aliquot veterum locos, in quibus hominum nomina cum ejus dei nomine composita corruptelis laborant. Ut ab ipso Athenaeo proficiscar, hujus testimonio constat Ἑρμῆν fuisse potionis quoddam genus, nimirum postremum in conviviis poculum vid. I. 32, cf. X. 473 c. Quam rem nuper docte, ut adsolet, explicuit Coray ad Heliodori Aethiopica p. 120 ed. Paris. coll. p. 373.

Taceo in eodem Athenaeo ipsum Hermippum Cyzicenum cum Hermocle esse confusum, ibidemque aut perperam legi Hermon pro Hermonax, aut utrumque pro eodem esse habendum. Hoc enim occupavit novissimus Naucratitae editor. Nec ea repetamus, quae de nominibus Ἑρμᾶς, Ἑρμαγόρας et similibus, passim corruptis, copiose monuerunt magnus Bentlejus in epistolâ ad Millium p. 519—21 ed. Lips. et Ruhnkenius histor. crit. orator. graec. p. XCIII., de quibus nuper etiam subtiliter praecepit Sturzius de nominibus Graecor. comment. 3, licet haec ipsa fugisse videantur diligentissimum ceteroqui Schleusnerum in N. T. Lexico s. v. Ἑρμᾶς.

Pollucis locum tractabo IX. 6 sub fin. de invento numismate, qui sic habet: εἴτε δημοτικῇ ἢ Κυβαίᾳ συνοικήσας, ubi Tib. Hemsterhusius emendavit Δημοδίκῃ, quam ipsam vocem idem restituendam judicat Heraclidi Pontico cap. XI pro eo, quod ibi est, Ἑρμοδίκην, hac maxime ratione ductus, quia illud nomen femininum non legatur apud scriptores. Neque tamen haec observatio Koelerum ita movere potuit, ut abjiceret Ἑρμοδίκην in nova editione Heraclidis p. 12 coll. p. 60. Atque vir doctus, qui in nota mscr. ad Pollucis exemplum nostrum l. l. in hoc scriptore ante tentasset Δημώ, postea tamen, ex Heraclide Pollucem corrigendum arbitratus, totum locum sic restituere conatus est: Ἑρμοδίκη ἡ κυμαΐα συνοικήσασα τῷ Μίδᾳ. Mihi tamen firmior videtur Hemsterhusii ratio.

Porro e Cicerone de Invent. I. 6. 9. 11. perperam laudat Hermagora Quintilianus I. 5. 61 pro Hermagoras, quod libri, cum manu scripti tum impressi exhibent.

Simillimum tamen vitium etiam nunc obsidet non Ciceronis modo locos aliquot, ut Academ. IV. 30, de Finib. II. 30, de Nat. Deor. I. 32, verum etiam Senecae, Diogenis Laertii aliorum plurimos, ut hujus librum X. §. 9. 10. 13. et passim, idque in nomine nobilissimi philosophi, qui Epicuri discipulus, magistrique non minus scholae quam bonorum heres haud parum celebratur per veterum scripta. Omnes enim libri, quasi jurati, conspirant in vitioso Hermachus Ἕρμαχος, cum reponendum ubique sit Ἕρμαρχος Hermarchus, quam scripturam ejus philosophi statua exhibet aenea, reperta in

Herculani ruderibus et praeterea ibidem repertus Philodemi liber περὶ ῥητορικῆς, docente Villoisono in Anecdot. gr. II. pag. 159.

Hanc observationem turpiter neglexerunt qui nuper Ciceronis libros de Finibus et Academica ediderunt Rathius pag. 165 et Huelsemannus pag. 258. Hujus quidem socordiam non miror, qui sciam eum omnia alia solere promiscue corradere, quam quae res ratioque poscat. Contra bene haec tenuerunt Sturzius in Empedocleis Schweighaeuserusque in ipso Athenaeo lib. XIII. 54, p. 175. In Ciceronis autem l. l. de Nat. D. cum Uffenbachianus liber, qui nunc quidem penes me est, Symachus exhibeat, tamen bini codices mei manifesta genuinae lectionis vestigia servarunt. Etenim Norimbergensis A. habet Hermarcus similiter atque unus e Parisiensibus. Illud tamen vitium occupat etiam hodie Porphyrium de Abstinentiâ pag. 49. In Alciphronis denique epistol. II. 2. 67. doctississimus Wagnerus certe non suscepturus fuisset patrocinium scripturae vulgatae Ἕρμαρχον, si meminisset, non in sola statuâ illa, sed in codicibus etiam mscr. cum Philodemi tum Ciceronis exstare alteram. Alia vitia in hoc vocabulorum genere et Sluiterus notavit in Lectionibus Andocideis pag. 44. seq. et ipse notavi alias.

Quot vero in veteribus scriptoribus nomina e nomine Ἑρμοῦ conflata fuerint, longum est monere, nec attinet post Heinrichii

observationes in commentatione de **Hermaphroditis**, in quibus sunt **Hermathena**, **Hermeracles**, adde **Hermopan** *). Hoc unum subjiciam, cum Ἑρμῆ nomen ipsum originis sit Aegyptiacae, quod nuper probabile reddiderunt **Jablonski** de vocibus Aegypt. **Zoëga** de **Obeliscis**, igitur mirum non esse, **Aegyptiaca** praesertim multa et hominum nomina et vocabula alia incipere a nomine **Hermetis**, sive dei sive herois. De urbibus Aegyptiacis, quae inde dicuntur, monuit **Wesselingius** ad **Herodotum** II. 67. Diversa ratio, ut hoc obiter addam, est in urbibus **Lydiae**, quae potius ex **Hermo** fluvio nomen invenerunt, qua in re lapsus est **Harduinus**, Hermetem Lydiacis rebus interponens. Illuc redeo. Ab **Hermete** natum est **Hermapion**, quod Aegyptiacum nomen hominis haud obscuri est, qui de Aegyptiacis rebus egerat; porro **Hermanubis** cujus exempla sunt in **Ruhnkenii** Dissert. de tutelis et insignibus navium opuscul. I. pag. 270.

Quorsum haec? Nimirum quo intelligatur, haud absurdam esse, quanquam non necessariam, eam conjecturam, ut dicas: illam ipsam **Hermetis laternam** uno vocabulo **) dictam fuisse:

*) Ἑρμαφρόδιτος et Ἑρμόδωρος ab ipso **Athenaeo**, in loco de gryphis X. 69. pag. 144, ponuntur in exemplis nominum.

) Solitos autem esse Orientales **vasis nomina indere e binis vocabulis composita monstrat τραγέλαφος, quod est **poculi nomen** in fragmentis **Menandri Antiphanis** et **Eubuli**, citatis ab ipso **Athenaeo** XI. 102. Utitur hac voce **Plato** de Republ. VI. tom. VII. pag. 77 Bip. De eadem copiose disputat

ἙΡΜΙΠΝΟΣ, unde proclivo esset scribere ἙΡΜΙΠΠΟΣ. Hactenus de vasis nomine.

Jam illud ipsum mirabile poculum, quod orientalium fabulis frequentatur, haud raro solis poculum dicitur. Quae fama ad Graecos permanavit. Nam sicut hi pocula diis in deliciis esse credebant (θεοφιλὲς τὸ ποτήριον teste ipso Athenaeo in fragm. p. 781 Casaub.): sic ab iisdem Hercules fingebatur, postquam solem sagittis petere conatus, hujus monitu arcum laxasset, ab eodem (sole) poculum dono accepisse. Quo ipso vase idem heros, Erythiam petens, Oceanum trajecit. Inde factum est, ut idem et solis poculum, et Herculis diceretur *). In graecis scriptoribus praeter Stesichorum: ejus fabulae auctor est Pherecydes p. 109 ed. Sturzii, unde deinde multi et poëtae et scriptores eandem duxerunt, mirificeque variarunt **).

Atque Pherecydeus ille locus cum multis aliis huc facientibus debetur Athenaeo, qui eum servavit hoc ipso libro undecimo cap. 38. (conf. cap. 16), ubi Schweighaeuserus

Tib. Hemsterhusius ad Luciani Prometh. tom. I. pag. 224 seqq. Ipsius autem rei caussas ingeniosissime aperuit Boettigerus in libro, qui inscribitur: Griech. Vasengemälde pag. 155 seq.

*) De Herculeis poculis vid. Wagnerum ad Alciphronem pag. 330, cui tamen Berglerus τὰς Θηρικλείας restituit, pro Ἡρακλέους.

**) Vid. Heynium ad Apollod. pag. 163 et Sturzium in Pherecyde l. l. Sicut vero solis poculo vectus fingitur Hercules, ita Solem ipsum et Lunam cymbio vectum fingebant Aegyptii, quod et artifices repraesentarunt in monumentis, et Gnostici in sua converterunt.

recte tuetur συγγραφεῖς. Est enim Pherecydes in rerum scriptoribus.

In hoc Herculeo vase aeque variant scriptores, atque supra vidimimus variari in illo Dschemi calice. Sic, ut hoc utar, Mimnermus poëta lectulo aureo transvectum Herculem fecerat vid. Athen. l. l. coll. Boettigeri librum cui titulus: Vasengemälde I. 2. pag. 195. Theolytus *) contra aliique lebetem dixerant. Quod miraculum poculi pro navigio adhibiti alii interpretando studebant lenire, vel trahentes ad navis parasemum indeque deductum navis nomen, vel inde explicantes, quod apud veteres in more positum esset navigiorum quaedam genera a formâ structurae appellare, ita, quae figurâ proxime ad vasa accederent, vasorum nomine fuisse insignita, vid. Ruhnkenii dissert. de tutelis et insignib. nav. in opuscull. pag. 266. Eum vero loquendi usum hodieque apud Italos obtinere, observavit Winkelmannus in libello: Versuch einer Allegorie pag. 12. Idem in alio opere, quod inscribitur Description de pierr. grav. d. cab. d. Stosch pag. 140 seq. Ἔρωτα commemorat amphorâ vectum in gemmâ.

*) Quam ejus nominis scripturam Athenaeo reddidit novissimus editor ad h. l., suadente jam Heynio ad Apollodor l. l. Similiter in Livio nuper XXIII. 21. et 22 vitiosum Theodotus emendavit in commentatione ad Livii aliquot locos Frid. Christ. Matthiae Gymnasii Francofurtensis Rector et Professor, a quo hujus scriptoris decadem tertiam explicatam avide exspectamus.

Verum revocanda disputatio est ad eum locum unde devertit. Etenim in illis Nicomachi verbis apud Athen. XI. p. 269, quae expedienda sumsimus, ea quoque, quae sequuntur interpretationis lucem desiderant. In quibus primum est illud: ὡς ὁ κόσμος, quo ipso nihil aliud declaratur nisi: ad mundi figuram proxime accessisse illius crateris formam. Huc magnopere faciunt ea, quae veteres referunt de Nestoride s. Nestoris poculo. Nos omissis reliquis *), teneamus hoc unum, quod ex Asclepiadis Myrleani scripto περὶ Νεστορίδος exhibet ipse Athenaeus XI. 78. pag. 313 seq.: Antiquos homines in plerisque vitae hujus instrumentis figuram rotundam usurpasse et vero praecipue in poculis, ad imitationem mundi: Καὶ τὸ ποτήριον ἕν, τὸ δεχόμενον τὴν ὑγρὰν τροφὴν, κυκλοτερὲς ἐποίησαν κατὰ μίμησιν τοῦ κόσμου **).

*) Quae qui cognoscere cupiat consulat Heynii Observ. ad Homeri Iliad. XI. 632 pag. 230.

**) Εἰσὶ δὲ οἱ τὸν θεὸν σέβοντες, οὐρανοῦ μίμημα ποιησάμενοι περιέχον τὰ ἱερὰ σέβουσι sunt verba Clementis Alexandr. Strom. V. 5. pag. 662, quibus Persas significari probabile reddidit Kleukerus in Zendavestae Appendic. II. 3. pag. 108. Neque enim poculorum modo figura coeli adeoque mundi globum repraesentabant veteres, sed aliis quoque rebus. Dignus est, qui in hanc rem conferatur locus Eubuli ap. Porphyrium de Antr. Nymph. cap. 6. Ille enim Zoroastrem refert in montibus Persidi vicinis antrum nativum exornasse in honorem Mithrae τοῦ πάντων ποιητοῦ καὶ πατρὸς, quod conditi ab ipso mundi speciem referret, intra autem haberet σύμβολα τῶν κοσμικῶν στοιχείων καὶ κλιμάτων. Ac his ipsis in Clementis loco laudato satis firmatur scriptura οὐρανοῦ, quam interpres mutatam volebat in ἀνθρώπου

Quibus haec addit Naucratita: Nestorei poculi singularem quandem naturam esse, quippe quod stellas habeat, quas poëta cum clavis comparet, quoniam, ut clavi, sic stellae rotundae sint, et quasi infixae coelo. Quod probatur testimonio Arati. Cujus consuetudinis pocula fingendi hanc esse originem dicit. Asclepiades, quod cultioris vitae auctores sibi imitandam proposuerint Universi et solis lunaeque figuram.

Quam explicationem ut in medio relinquimus; ita e philosophorum placitis nonnulla proferemus, quo melius intelligatur usus poculorum aliorumque vasorum mysticus, quem apud veteres obtinuisse multa arguunt. In quibus illud primum legitur apud Platonem in Timaeo pag. 309 seq. Bip. de formâ mundi sphaericâ maxime congrua perfectissimâque omnium. Ad quem locum hac de re trifariam disputat Proclus in Commentar. pag. 160 nimirum φιλοσόφως, φυσικῶς et vero etiam mathematicis rationibus, simul distinguens τὸ σφαιροειδὲς ab eo quod dicit τὸ σφαιρικόν. Ac quum de physicâ ratione Aristotelis testimonium citet, hac data occasione commonefaciam ejus libelli, qui Aristotelis fertur de mundo, ubi cap. 5. §. 8. pag. 182 ed. Kappii superficie globosa totus mundus ab opifice comprehensus dicitur.

Antrum vero Mithrae et in aliis veterum monumentis videre est, et anaglypho Borghesiano tab. XI. 7, Mithrae sacrificium exhibente, de quo nuper Herderus in libro cui titulus die Vorwelt pag. 260 seqq.

Sed nos symbolica persequamur, **Bacchica** inprimis **Orphicaque.** Quo illud pertinet, quod idem **Proclus** ad haec **Platonis** p. 310 *λεῖον δὲ δὴ κύκλῳ πᾶν ἔξωθεν αὐτὸ ἀπηκριβοῦτο* et multa alia disputat ad declarandam eam **laevitatem** *), et vero etiam **speculi** structuram naturamque explicat.

Atque, tanquam data occasione, enarrat *λόγον ἱερὸν* **Proclus** p. 163 de **speculo Bacchi mystico.** Locus sic habet: *ὥσπερ δὴ καὶ τὰ ἔσοπτρα τὰς ἐμφάσεις ὑποδέχεται κατὰ τὴν λειότητα τὴν ἑαυτῶν. πάλαι δὲ καὶ τοῖς θεολόγοις ἐπιτηδειότητος*

*) Similiter in antecedentibus Proclus attendi jubet ad illud **Platonis:** *ἐτορνώσατο* (in editionibus est *ἐτορνεύσατο*), cum opifex mundi tanquam faber orbem torno laevigans fingatur. *Τορνεύεσθαι* legitur in Platonis epist. 7, sicut *τόρνος* in Philebo 31. 38 et *ἔντορνος κύκλος* in libris de legg. In illo autem *κύκλῳ τόρνος* ap. **Xenophont.** de Vectigal. I. 6 etiamnunc desudant interpretes. Weiskii ratio probatur **Schneidero**, qui in Lex. graec. hac de re subtiliter disputans, oblitus tamen est hujus loci e **Timaeo.** Hunc respexisse videtur **Plinius** H. N. II. 2. p. 123 Bip. „Nec (esse mundo), ut in volucrum notamus ovis, **laevitate continuâ lubricum corpus,** quod **clarissimi auctores dixere,** rerum argumentis indicatur.“ Ab Herodoto IV. 36 ii etiam ridentur, qui sibi finxerint *τὴν γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου.* Qua de re nunc nihil attinet dicere. Caeterum *τορνεύεσθαι* Thericlea quoque **pocula** dicuntur a **Theophrasto.** Hist. Plant V. 4, laudatâ ab **Athenaeo** XI. 41 cf. **Boden a Stapel** p. 519 et **Salmasium** in Plinian. Exercitt. ad Solin. p. 734. Illud vero Plinii de **volucrum ovis** admonet loci **Dinonis** e Persicis ap. **Athenaeum** nostrum 110, ubi Persarum rex perhibetur ex **ovo aureo** vinum mixtum bibisse. Unde rursus constat, quantopere in poculis ea forma Persis placuerit, quae vel ipsum globum referret, vel aliquatenus ad eum accederet. In alio loco **Hipparchi** e Thaide apud **Athen.** XI. 68, ubi de *Λεπαστῇ* calice Persico, illud *ὄρνις* negotium facessit interpretibus, quod fortasse expediatur, si penitus inspiciantur quae plurima Persarum commenta de **alitibus oscinibusque** leguntur per Zendavestae volumina.

παρείληπται σύμβολον, πρὸς τὴν νοερὰν ἀποπλήρωσιν τȣ̃ παντός. διὸ καὶ τὸν Ἥφαιςον ἔσοπτρόν φασι ποιῆσαι τῷ Διονύσῳ, εἰς ὃ ἐμβλέψας ὁ θεὸς, καὶ εἴδωλον ἑαυτȣ̃ θεασάμενος, προῆλθεν εἰς ὅλην τὴν μεριςὴν δημιȣργίαν.

Vides rursus speculum hoc quidem loco Bacchicum, quod supra Solis dicebatur, sed et ipsum tamen mysticum adeoque δημιȣργικὸν, nam revera partes τȣ̃ δημιȣργȣ̃ in hac fabulâ administrantem deprehendimus Dionysum. Nolo enim illud h. l. cogere, Bacchum et ipsum pro Sole haberi in reconditioribus Graecorum sacris. Hoc monebimus, a Clemente Alex. in Cohort. ad gent. p. 15. 8 itemque ab Arnobio adversus gent. lib. V. p. 169 et sphaeram et speculum commemorari in crepundiis Bacchi (ἐν ἀθύρματι Διονύσȣ). Fertur enim is deus, quum sese puerilibus ludicris dedisset, discerptus esse a Titanibus. Similiter in egregio hymno Homerico in Cererem, sed eodem mystico, Proserpina floribus per prata ludens, a Plutone rapta fertur. Jam in his ipsis Bacchi crepundiis speculum quoque numeratur. Quod quo pertineat, nunc quidem nemini obscurum potest esse; neque abjicienda spes est eruendae sententiae, quae in hujusmodi tesseris mysticis lateat, modo iisdem rebus eruendis naviter operemur, quod in Orphicis parum curasse videtur Gesnerus, vir ceteroqui diligentissimus. Quem dolendum est, talia prae se ferre, quale est istud p. 382: „quid sibi singula illa symbola voluerint,

quaerere hodie, credo, serum est." Equidem fateri non dubito me hoc ipsum minime gentium credere.

Illuc revertor. Tenendum enim praeterea est illud, quod apud Proclum Bacchus dicitur in Vulcani speculo (*) suam ipse imaginem contemplatus ad singularum rerum quotquot in mundo habentur procreationem descendisse; porro admonebo hujus loci apud Servium ad Virgil Georgic. II. 4. qui Baccho, dicit, sive Libero, Patris nomen proprie semper cohaerere, quoniam is generationi hominum praeesse fingatur, conferatur Varro ap. Augustinum de civitate Dei VI. 9. Eundem denique deum, erant qui dicerent τῶν φυτευτικῶν τὴν δύναμιν vid. Artemidori Oneirocrit. II. 37. ibiq. Reiffium p. 331.

His in unum collectis rursus affunditur lux Athenaei nostri, nam huc revertendum est, loco saepe laudato:

ὡς ὁ κόσμος ἐξ ἑ τῶν θεῶν τά θαύματα καὶ τὰ καρπώσιμα γίγνεσθαι ἐπὶ γῆς.

Nam sicut apud Proclum Liberi Patris, per quem plantarum virtus significatur, vis efficax et genetrix eo excitatur, quod ipse in illud speculum inspicit, ita Hermetis illo sive speculo sive pharo laternâve et deorum spectacula **) et terrae fructus (nam haec distinguenda sunt) aperiuntur.

*) Quemadmodum h. l. speculum habemus Bacchi mirificum, ita ejusdem dei ahena mirifice vino repleri ultro solita in Bacchi templo reperiebantur apud Eleos vid. Pausan. Eliac. II. 6. Pseudo Aristotelis mirabil. auscult. cap. 134. De foecundo Bacchi cratere alio infra disputabitur.

**) Utor voce Ciceronis de N. D. II. 56, ubi caelestia spectacula dicuntur sidera. Notum autem est eadem signa dici Latinis, Graecis et τείρεα et σήματα.

Consimilis est illa fabula Graecorum de **solis** mensâ apud Aethiopes quotidie carnibus repletâ, quas ejus regionis incolae ab ipsâ terra ultro proferri dicerent, **Herodot.** III. 68, **Pausan.** Attic. XXXIII, **Mela** III. 9. Et quemadmodum in Hermetis laterna Bacchique speculo ea vis ferebatur inesse, ut utriusvis ope deorum spectacula conspicerentur, ita orientalium carminum âuctores, si cujus animum divinandi absconditaque naturae mysteria rimandi sagacitate praeditum putarent eum hominem **mundi speculo** comparare solebant. Cujus rei testimonia suppeditat Herbelotius B. O. II. pag. 188.

Praeterea, sicut σφαιροειδὴς ὁ κόσμος philosophice dicebatur, quod modo probavimus, ita hominum, tanquam μικρῶν κόσμον capita in ejus figurae similitudinem composita sunt, docente **Synesio** de providentiâ. Quam opinionem **Stoicis** perperam tribuit **Pseudo-Plutarchus** de placit. philosoph. IV. 21 fin., notatus hoc

vid. **Lucret.** I. 1083. IV. 446 plura congessit **Grotius** ad **Genes.** I. 14. Unde elegans lusus Epicurei de Deo, **aedilis** instar, munus edente, apud Cic. d. N. D. I. 9. „Quid autem erat, quod concupisceret Deus mundum **signis** et luminibus, tanquam aedilis, ornare? Si, ut Deus ipse melius habitaret: ante videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurgustio, habitaverat. Post autem varietatene eum delectari putamus (**putemus** Cod. Paris. A.), qua coelum et terras exornatas videmus." Quo in loco non erat cur **Ernestius** expungendum censeret illud **Deus** ante **ipse**. Sic enim haud raro solent optimi quique scriptores ut Caesar et ipse Cicero, nec quisquam codicum quos vidi, addicit ei rationi. Quod autem idem abesse vult **luminibus**, nolim ea excidisse ei viro. Caeterum in theologiâ Orphicorum homines reliquaque, quae mundus habet, sunt ἀθύρματα τοῦ θεοῦ. Etiam in **Platone** de Legg. I. 573 animantia omnia dicuntur deorum θαύματα sive ad lusum sive serio ab ipsis composita, quem locum ante oculos habuit **Philo** tom. II. p. 12. De ea locutione egit **Ruhnkenius** ad Timaei lex. Platon. p. 140.

nomine a Corsinio (vid. Beckii V. C. notam ad h. l. pag. 249) et a Gatackero ad Marcum Antoninum p. 151. Quid? Deum ipsum, tanquam *ἐπίσκοπον πάσης γενέσεως*, nonulli dicebant Sphaeram intelligibilem. Quam opinionem erant, qui tribuerent Hermeti illi Trismegisto; vid. Gatacker l. l.

Huc etiam pertinere videtur Canopi Aegyptii forma et religio, sive illam pro globo habeas, quae universi mundi complexum significet, ita ut caput humanum superimpositum sit symbolum mentis, tanquam *τοῦ ἡγεμονικοῦ*, sive pro solâ ollâ (hydriâ) in globi similitudinem efficta. Ac de Canopo alias dicendi dabitur occasio. Nunc hoc delibabo, etiam in sacris Adonidis promiscue memorari et caput et ollam. Quod enim Lucianus de Dea Syria Tom. IX. p. 90. Bip. caput papyraceum dicit Byblum quotannis ex Aegypto transvectum, alii ollam ajunt fuisse papyraceam, vid. Scholiast. ad l. l. Ferebatur autem Osiridis. Qua in re non minus symbolicam mundi significationem latere voluerunt veterum religiones, quam in reliquis quas supra attigimus.

Vidimus insuper in Athenaei nostri loco *θεῶν τὰ θαύματα* memorari, quae astrologicae laternae auxilio aperirentur, atque ibi de sideribus praecipue cogitandum esse diximus. Consimilis ratio est in Nestoris poculo, quod et ipsum *κατηστερισμένον* finxit poëta, observante Asclepiade apud Athen. XI 99. Hoc admonet epigrammatis Antipatri, quod legitur in Anthologiâ graecâ tom. II. p. 99. XV. ed. Jacobsii. Atque ille bina pocula

canit sphaerica, insculptis astris, alterâ hemisphaerâ meridionalia exhibente, alterâ ea, quae pertinent ad aquilonem. Quam rem sic in lusum vertit facetissimus poëta ut dicat, utrumque poculum simulatque ebiberis, omnia signa videbis, nec necesse erit Arati Phaenomena de stellis consulas. Animi caussa h. l. subjiciam, quandoquidem deos ipsos in rebus seriis nonnumquam ludere vidimus:

> Θεογένης Πείσωνι τὰ τεχνήεντα κύπελλα
> πέμπει· χωρεῦμεν δ' οὐρανὸν ἀμφότερα.
> δοιὰ γὰρ ἐκ σφαίρης τετμήμεθα· καὶ τὸ μὲν ἡμέων
> τοὺς νοτίους, τὸ δ' ἔχει τείρεα τὰν Βορέη.
> ἀλλὰ σὺ μηκέτ' Ἄρητον ἐπίβλεπε· δισσὰ δ' ἐν ἀμφοῖν
> μέτρα πιὼν, ἀθρεῖ πάντα τὰ Φαινόμενα.

Neque vero solum ille Nestoreus scyphus apud Homerum verum etiam Homerica illa duo dolia Iliad. XXIV. 527, nec minus Pandorae πίθος apud Hesiodum ἔργ. 94, variis grammaticorum philosophorumque interpretationibus locum fecere. Plato quidem haec poëtarum commenta reprehendit loco classico de Republicâ II. pag. 379 unde maculam abstersit Heynius Observv. ad Homer. Tom. VIII. 705. Eorundem poëtarum locos respexit Porphyrius de antro nymph. cap. 29. seq. Idem philosophus mentionem facit alius loci Platonici in Gorgiâ pag. 159 — 161 ed. Heindorf, ubi Socrates Pythagoreorum Empedoclis ad symbola confugientium studium quodammodo ridere videtur. Porphyrius nihilominus haec Platonica mystice accipit. Ejus loci insigniora adscribam tum de lectione

moniturus, tum quia eundem praetermissum video a Platonis interpretibus:

Cap. 31 ἀφ' ὧν καὶ Πλάτων ὁρμώμενος, οἶδε καὶ αὐτὸς κρατῆρας, καὶ ἀντὶ τῶν ἀμφορέων λαμβάνει πίθους, καὶ δύο στόματα κ. τ. λ. Lege λαμβάνει τοὺς πίθους, quod exhibet cod. Cant. 2. Reddendus est enim Porphyrio articulus, cujus usus praecipuus est de re in vulgus notâ et celebratâ hominum sermonibus, docente Fischero ad Weller. I. 32 Wolfio ad Reizii libellum de Graec. prosod. acc. inclin. p. 76 et nuper Heindorfio ad Platon. Charmid. p. 62. Respicit autem philosophus illa Homerica Hesiodeaque dolia, quorum ipse mentionem injicit in antecedentibus *).

In Jovis quoque oraculo Dodonaeo erant vasa, unde Dei sensa jussaque percipere studerent. Qua de re, uti de Dodone universâ, luculenta legitur narratio in Stephani Byzantii Fragmento de Dodone, inserto Jacobi Gronovii Thesauro Antiqq. graecar. tom. VII, cum hujus annotationibus **).

*) Caeterum hi ipsi δοιοὶ πίθοι ἐν Διὸς οὔδει commode adhibentur a magno Hugone Grotio illustrando loco Apocalypseos XIV. 10. de ποτηρίῳ σωτηρίας τοῦ θεοῦ, ubi ille docet: calicem aut poculum dici portionem cuique a Deo attributam, unde et illud τὸ ποτήριον τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ ibid. XVIII. 6 et apud reliquos orientalium vates cum sacros tum ceteros. Similiter τὸ ποτήριον rursus ab ipso Jesu symbolice nuncupatum de ipsius morte cruentâ Matth. XX. 22. Quem ejus vocabuli significatum optime illustrat Etymolog. magn. s. v. Gemino sensu etiam ἡ φιάλη legitur in N. T. v. c. Apocalyps. XVI. 1. seqq. XVII. 1. XXI. 9 cet.

**) Quo in loco Gronovium miror, qui haud pauca feliciter sanasset, unum gravissimum vulnus intactum reliquisse: ἔστι δὲ καὶ Δωδωναῖον χαλκεῖον παροιμία

Est autem hujusmodi: Templum Jovis Dodonaeî habere multos tripodas sibi invicem appositos, ut, qui unum attingat, per tactum transmittat sonum, donec iterum illum unum attingat. Firmatur ea res a Stephano plurium scriptorum testimoniis, ut Menandri, Callimachi, Apollodori. Callimacheus autem locus, laudatus quoque ab Etymolog. m. in v. γηλεχ, legitur in Hymno in Del. 285, ubi θεράποντες ἀσιγήτοιο λέβητες memorantur. Vide ad h. l. animadversionem Ezech. Spanhemii, copiose, ut semper disputantis. De gramaticorum vero disceptatione, nunc unum sacrum lebetem dicentium, nunc

ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων, ὡς Μενεδήμων φησὶν κ. τ. λ. Menedemonis nom n quis vel fando audiit, quanquam Menedemus notus sit? Lege: ὡς μὲν Δήμων φησὶν, vel ὡς μὲν ὁ Δήμων. Locus enim Stephani desumtus est e Demonis παροιμιῶν libris, quos in hac ipsa re Suidas citat s. v. Δωδωναῖον χαλκεῖον. Illud vero μὲν spectat ad sequentia: ἡ παροιμία δὲ ἥ φησιν. Pugnat enim cum Demonis testimonio, de pluribus lebetibus, proverbium, quod unum tantum dicat. In Suidâ autem illud: πρὸς Δήμωνα sejungendum est ab αὐλητρίδι et attribuendum sequentibus: εἰ δὲ πολλοὶ ἦσαν, ὐκ ἂν ἑνικῶς (sic legendum) ἐλέγετο ἡ παροιμία. Vult enim intelligi Lexicographus, proverbium illud parum congruere Demonis testimonio. Demonis autem res egregie, expediit Hemsterhusius ad Aristophanis Plutum p. 352. seq. Quae reliqua in Stephano tentavit Gronovius videbimus alias ad Hecataei Geographica. Ipsius autem Dodonae nomen a voce Hebraeâ doda sive lebete, ut eam reddunt LXX. Samuel. IV. 14. repetierunt nonnulli, probante Spanhemio l. l. Caeterum aes Dodonaeum abierat in proverbium de garrulis, quos si verbulo tangas, continuo refundunt tantum verborum, ut nullus omnino sit garriendi finis, docente Demone, unde sua duxerunt et reliqui Adagiorum scriptores et Erasmus Chiliad. I. Cent. I. p 25 Basil. Apud Pollucem, ut hoc obiter, lib. X cap. 17 p. 472 ed. Seberi, pro ὥσπερ κελεύεις adscripsit docta manus ad latus exempli, quod in bibliothecâ hujus urbis academicâ asservatur, ὥσπερ καὶ λέβης, cum eadem antea tentasset ὥσπερ κελέβη. Utrumque vocabulum legitur apud Athenaeum nostrum XI. 50.

plures, quam etiam attigit **Eudocia** in violario p. 127, judicium esto penes musicae peritiores. Equidem hoc jam unum ponam: sicuti **fagus** illa **vocalis**, quae Dodonae erat, pro **oraculo** habebatur, ita Dodonaea quoque ahena. Unde, posteaquam responsa reddere oraculum desiisset, apud **Theodoritum** tom. IV. p. 632 coll. 623 illud legitur: *ἀλλὰ σιγᾷ μὲν ὁ Δωδωναῖος*, apud **Gregorium** autem **Nazianzenum** in Julian. I. p. 127 hoc: *οὐκ ἔτι φθέγγεται δρῦς, οὐκ ἔτι λέβης μαντεύεται* non amplius loquitur quercus, non amplius lebes vaticinatur.

Jam vero, si quaeras, quid adduxerit antiquos homines, ut ita statuerent: deos, sive lebetis, sive lebetum pulsatorum sono jussa sua ipsis significata velle, altius ea res latet, quam quae nunc quidem a nobis possit penitus explicari. Digito monstremus quo attendi hac in re velimus. Primum enim soni, in orbem redeuntis, circuitus ex illis ahenis, perhibetur, sciscitantium oracula aures complevisse. Deinde ex **Apollodori** fragmento *), apud Scholiast. Theocriti II. 36., discimus, pulsari solitos lebetes, quo tinnitum ederent, Athenis ab Hierophanta Proserpinam invocante, Spartae autem, rege mortuo, alibique, cum e vitâ discesserit, quicunque homo innocens purusque haberetur, unde etiam ad purgationem adhibitos, denique pulsari coeptos **deficiente lunâ**. Taceo, hanc quidem consuetudinem apud barbaras aliquot Americae gentes obtinere: eorum admoneo, quae apud **Plutarchum** Sympos. VIII. 3 in utramque partem super ea quaestione disputantur, cur nox sonos

*) Quod emendavit **Heynius** p. 401 Apollodor.

facilius, quam dies reddat; quo in loco a sole aër tremulo motu, dicitur, cieri. Huc et illa faciunt, quae multa apud veteres leguntur de Memnonis statuâ quotidie ad solis ortum resonante.

Quae omnia si quis in unum collegerit, tenueritque praesertim illud de sonorum in orbem meantium lege et ordine, ei videatur fortasse in his Dodonaeis lebetibus latere rudior illa quidem sed tamen haud ambigua significatio ejus legis ordinisque, quo sidera continenter in coelo labuntur. Quam ipsam rem subtilius deinceps explicuerunt Pythagorei*), cum illum sonum dicerent, ut Ciceronis verbis utar, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata partium ratione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficeretur, qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficeret.

Neque vero solum lebetum sono craterumque figura symboli mundum significabant veteres, verum etiam potione. Nam cum elementorum in universitate mundi discordium concordiam explicare vellent, ut intelligeretur, quomodo, uti cum Plinio loquar, mutuo complexu diversitatis in hoc mundo efficeretur nexus, utebantur similitudine κυκεῶνος (coceti). Marc. Antonin. IV. 27. Ἤτοι κόσμος διατεταγμένος, ἢ

*) Quorum rationem nuper illustravit Boeckhius noster, de Platonici mundi mente disputans in Studiis vol. III. part. I.

κυκεὼν συμπεφορημένος *) μὲν, ἀλλὰ κόσμος cf. ibid. VII. 48. Hanc πρώτην ὁμονοίαν τῦ κόσμυ (primam mundi concordiam illustrat Aristoteles de mundo cap. 5. deductâ imagine a πολιτικῆ ὁμονοίᾳ (a concordia civili).

Inde mihi lux affundi videtur Plutarcho de garrulitate p. 58 ed. Wyttenb. Ille enim, quo doceat nonnunquam animi sensa absque verbis commode per tesseram significari, haec narrat. Heraclitum quondam, civibus postulantibus, ut aliquam de concordiâ (περὶ ὁμονοίας) sententiam diceret, conscenso suggestu, calicem aquâ plenum (ψυχρῦ κύλικα) sumsisse, farinamque ei inspersam cum pulegio agitasse, eâque epotâ abiisse. Addit Plutarchus, demonstrasse hac ipsa re philosophum, in pace et concordiâ conservari civitates, si contenti esse quibusvis et non requirere sumtuosa cives nossent.

*) Fortasse legendum quispiam cogitet: συμπεφυρμένος, nam φύρειν, φυρᾶν et composita simili sensu saepius leguntur, ut γῆ ὑγρῷ φυραθεῖσα apud Suid. et in Epictet. Dissertt. I. 1. XI. p 19 ed. Schweigh. πηλὸς κομψῶς πεφυραμένος; Paull. Epist. Roman. IX. 21, in similitudine de Vasis: — ἐκ τῦ αὐτῦ φυράματος ποιῆσαι σκεῦος et sic saepius ubi humida siccis misceri dicuntur cf. Gatacker ad Antonin. pag. 289, coll. 97. Atque φέρεσθαι saepius confusum cum φύρεσθαι, ut in Platonis Gorgia p. 64. Heindorf., de Anaxagorco illo placito ὁμῦ ἂν παντα χρήματα ἐφύρετο ἐν τῷ αὐτῷ, Codex. Meermann. habet ἐφέρετο, quam varietatem non annotavit Heindorfius, ceteroqui diligentissimus. Notum praeterea est κυκεῶνα de mundo Heraclitum dixisse. Sed idem Heraclitus usurpat συμφέρειν hoc eodem significatu apud Aristotel. Ethic. VIII. 1. τὸ αντίξυν συμφέρον· καὶ ἐκ τῶν διαφερόντων καλλίστην ἁρμονίαν cf. etiam Aristotelem, qui fertur, de mundo cap. 5 adde Platon. Phileb. p. 317. Bip. Praestat igitur in hoc Marci loco retinere συμπεφορημένος.

Haud absurda est haec explicatio. Nam primum: varia fuit coceti (τῦ κυκεῶνος) miscendi ratio, varius usus. Omitto medicum usum, de quo nuper dixit Coray ad Theophrasti Char. eth. IV. 1 ex Hippocrate. Rusticorum porro hominum, omninoque eorum, qui frugalitati studerent, κυκεῶνα (cinnum cocetum) fuisse, certis scriptorum argumentis constat, vid. Schneiderum V. C. in Eclog. physic. pag. 139. Heraclitum autem studiosissimum fuisse frugalitatis, Diogenes perhibet in ejus vitâ.

Tamen, ut hoc loco mysticum κυκεῶνα cogitandum esse statuam, his equidem rationibus adducor. Nam primum Heraclitus Orphicus dicitur ap. Clement. Alex. Strom. VI. p. 767, cinni autem usum insignem fuisse in sacris Orphicis cum aliunde constat, tum ex Argonauticis Orphicis 319 seqq. Deinde huic cinno Heracliteo admista dicitur apud Plutarchum ἡ γλήχων (pulegium); atqui haec ipsa herba admista erat sacro κυκεῶνι Cereris et mystarum qui Eleusiniis initiarentur, vid. Meursii Eleusinia cap. X et Ruhnkenium ad Hymn. Homer. in Cer. 209. Itaque crediderim, praeter frugalitatis commendationem, et hoc insuper illâ potione doctioribus significatum voluisse philosophum, (quod nemo civium qui quidem initiatus sive Orphicis sive Cerealibus sacris esset, ignorare posset): quemadmodum ex elementorum discordium temereque confusorum indigesta mole, hoc est e cinno (ἐκ τῦ κυκεῶνος) mundus (ὁ κόσμος) sive haec omnium rerum universitas apte disposita comprehensa-

que fuerit, mente mundi, sive ratione (τῇ γνώμῃ *): ita rem Ephesiorum publicam misere confusam conturbatamque rursus in ordinem redigendam esse civium concordia (ὁμονοίᾳ) **).

Hoc est illud, quod Heraclitum fecisse dicit Allegoriarum Homericarum auctor pag. 84 ed. Schow. διὰ συμβόλων τὰ φυσικὰ θεολογεῖν. Quam arcto autem vinculo in universâ ratione Heraclitea τὰ φυσικὰ contineantur τοῖς πολιτικοῖς, demonstrabimus alias ad hujus Philosophi fragmenta, quae a nobis collecta illustrataque edentur. Nunc hoc velimus teneri: cinnum per tesseram usurpari pro confusione cum rerum mundanarum tum civilium, quam earundem concordia ***) excipiat.

*) Vid. Diogen. Laert. IX. i.

**) Quemadmodum haec philosophi potio ὁμονοίας commendatrix est, sic ἀγάπης sacra illa potio Christianorum. Quid? si vera est sententia Hugonis Grotii ad Evangel. Matth. XXVI. 26 illae ipsae ἀγάπαι, sive convivia antiquioris ecclesiae communia, e nulla alia re hoc ipsum nomen invenerunt, nisi συνεκδοχικῶς ex poculo illo Christi mystico, „quod poculum (utar ipsius verbis) certissimum quippe testimonium amoris, quo nos Christus dilexit, quemque nobis imitandum proposuit, ἀγάπη (dilectio) dicebatur.“ Qua de re non attinet in utramque partem disputare; qui plura cupiat edoceri, consulat ipsius Athenaei nostri interpretem, magnum Isaacum Casaubonum in Exercitt. Antibaron. XVI. p. 367. Quatenus vero mysticum et sit et dicatur illud Christi poculum neque vero pro solo ἀγάπης symbolo habendum sit, nos, qui in ethnicorum sacris declarandis versamur, iis explicandum relinquimus, qui non indignum censent theologi christiani et nomine et munere illud περὶ συμβόλων θεολογεῖν.

***) Pythagoras etiam, quo vitae suae rationes ad amussim aequipararet, coeeti quoddam genus dicitur usurpasse, idem quod Ceres Herculi in Libyam proficiscenti monstrasset vid. Porphyrium de vit. Pyth. sect. 34 35. qui subjicit: ὅθεν αὐτῷ καὶ τὸ σῶμα ὥσπερ ἐπὶ ςάθμῃ τὴν αὐτὴν ἕξιν διεφύλαττεν. Corporis cura ad amussim exacta. Notum proverbium: ἐπὶ στάθμῃ. Pertinent haec ad Ὀρφικὸν βίον, de quo Plato Epinom. 974 de Legg. VI. 785, et Euri-

Quod cur ita statuam faciunt praeterea Platonici, a quibus in mundi opificio explicando in partes advocantur et ὁ κεραννὺς et ὁ κρατὴρ, et τὰ κιρνάμενα et τὸ κρᾶμα denique. Qua in caussâ quae subtiliter ab iisdem disputata multa occurrunt, aliena a nostro consilio, penitius excutiat futurus Timaei Platonici editor. Earum enim disputationum fons in ipso hoc Platonis libro est, ubi, pag. 326 haec leguntur: ταῦτ' εἶπε· καὶ πάλιν ἐπὶ τὸν πρότερον κρατῆρα, ἐν ᾧ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμισγε, τὰ τῶν ἔμπροσθεν ὑπόλοιπα κατεχεῖτο μίσγων κ. τ. λ. Quae utrum ex Heracliteo an utraque potius e communi symbolorum orientalium fonte fluxerint nunc quidem quaerere longum est. Dici autem vix potest, quam multa in hunc locum dixerint, ex eodemque repetierint Platonici philosophi recentiores, verbi caussa de duplici cratere (περὶ τοῦ διττοῦ κρατῆρος) hoc est de priore et posteriore, ut alia taceam. In his praecipue Proclus est in Commentar. in Timaeum pag. 314 — 319 e quo paucula haec adscribemus conjunctiora cum nostro argumento. Nam primum is de barbaris loquitur, qui et ipsi translate et philosophice κρατῆρας usurparint p. 315, deinde in memoriam revocat locum Platonis e Philebo. Legitur autem hic pag. 310 seqq. ed. Bip. diciturque ibi sive Dionysus (Bacchus) sive Vulcanus seu alius quispiam deorum mixtionis officium (τὴν τιμὴν τῆς συγκράσεως) esse sortitus.

ripidea illa in Hippolyto 948 seqq. Orphicae enim vitae uti Heraclitus ita etiam Pythagoras sequax dicitur. Qua de re, etiam post Fragnerium, alias disputandi dabitur occasio.

Admonet insuper Proclus Orphei, a quo dicit Διονύσου κρατῆρα celebrari, hoc addens: πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους (κρατῆρας) ἱδρύει περὶ τὴν ἡλιακὴν τράπεζαν subjiciens etiam illa Homerica de Vulcano et Hebe nectar haurientibus e cratere.

En rursus et Bacchi crater et solis mensa crateribus circumdata!

Plura tamen super hujus mundi cratere et creatore philosophatur idem Proclus in Theologiam Platonis Cap. 30—32, ubi primo loco craterem illum appellat τὸν κρατῆρα τῆς ἀληθείας (veritatis craterem). Quod quo pertineat, nemo ambigere potest, qui legerit quae supra de Apollinis Bacchique tripode in medium protulimus, deinde eundem craterem dicit nonnunquam adjungi τῷ δημιουργῷ cum eoque copulari, quod et ipsum cuique patet quantopere faciat ad firmandam nostram sententiam de Hermetis laterna in loco saepius laudato Athenaei(*). Idem dici debet de illis quae Proclus superioribus addidit. Nam postquam nonnulla monuit μυστικῶς declarari in Timaeo, subjicit haec:

> καὶ ὁ μὲν κρατὴρ πηγὴ τῶν ψυχῶν ἐστιν ἑνιαίως συνέχουσα τὸν ὅλον αὐτοῦ καὶ τέλειον ἀριθμόν. καὶ ὥσπερ ὁ δημιουργὸς πατρικὴν ἔλαχεν αἰτίαν, πρὸς τὴν ψυχικὴν ἀπογέννησιν, οὕτω δὴ

*) Nec absimile vero est, externâ quoque structurâ specieque illius Hermetici vasis, sive laternae, sive crateris, ipsam hanc opificis operisque copulationem ita declaratam fuisse, ut vas globosum fingeretur, superimposito Hermetis simulacro, vel certe Hermâ. Quae ratio in Canobi quoque figurâ obtinet. Sed de Canobis proxime dicetur.

καὶ ὁ κρατὴρ γόνιμός ἐστι, καὶ μητρὸς λόγον, καὶ τάξιν κεκλήρωται πρὸς τὰ ἀφ' ἑαυτῆς κ. τ. λ.

Habemus igitur in Platonicorum decretis foecundum craterem *) qui, sicut mundi opifex in universarum rerum procreatione patris vices gerit, ita et ipse maternam sortem nactus est.

Atque disputationem suam finiens Proclus cap. XXXII. exeunte: fontanum (*πηγαῖον*) craterem monet, fontanosque crateres a diis dictos esse primarias rerum variarum, quas mundus complectatur caussas (*τὰς πρωτουργοὺς τῶν μερικῶν αἰτίας*). Illud denique notabile, quod Proclus, et h. l. et in Timaeum, l. l. haec ipsa, ait, de cratere mundano se prolixius persecuturum, peculiari, uti videtur, opere. Unde intelligitur, quantum ei rei tribuerint Platonicae rationis sectatores.

Quod et aliunde patet, adeoque ex ipso, qui fertur Hermetis trismegisti libro **). In quo primum Isis fingitur, priusquam Horo filio rerum primordia exponat, dulcem ambrosiae potum miscere (*ἐγχεῖ ποτὸν Ὥρῳ γλυκὺ τοπρῶτον ἀμβροσίας.*) Sequitur Isidis oratio, qua anima describitur cum coelestibus mysteriis consentiente. Quibus continuo subjicitur illud:

*) Sensu haud paullo discrepante ab eo, quo Horatius Epistol. I. 5. 19 foecundos calices dixit.

**) *Ἑρμοῦ τρισμεγίστου ἐκ τῆς ἱερᾶς βίβλου, ἐπικαλουμένης κόρης κόσμου*, cujus fragmentum servavit Stobaeus Eclog. I. 52, p. 926 seqq. ed. Heeren. cujus libri et in ipso Platonis Timaeo fons est.

τȣ̃το δ' ἦν ὁ πάντα νȣ̃ς Ἑρμῆς*) ὃς καὶ εἶδε τὰ σύμπαντα, καὶ ἰδὼν κατενόησε, καὶ κατανοήσας ἴσχυσε δηλῶσαί τε καὶ δεῖξαι.

Tum in astra transiisse dicitur Hermes, et quae reliqua de eodem magnifica magnifice praedicantur. Postremo ipsius Naturae natales panduntur. Jubet deus Naturam esse. Prodit ea continuo, ex ipsius voce, formosissima femina. Quo facto dei reliqui obstupescunt. Jam summus rerum opifex eidem porrigit potum Naturae, quo sumto eadem foecunda evadit:

καὶ ταύτην (τὴν φύσιν) φύσεως πόματι ἐτίμησεν ὁ Θεὸς ὁ προπάτωρ κ. τ. λ.

Sequuntur nonnulla partim e Platonis symposio partim ex aliis intemeratae elegantiae scriptoribus expressa, sed ita efficta ab isto Pseudohermete, ut malim omittere lascivientis orationis flosculos et ampullas.

Atque inde satis apparet, quam varie ornatum fuerit hoc ex antiquissimorum orientis hominum famâ profectum indeque per Heraclitum Platonemque ad sequiores usque philosophos traductum de Naturae potu poculoque placitum. Neque tamen eadem res, quae tam venerandos auctores nacta

*) Quae equidem ab Heerenio tentato nolim, qui reposuit ὁ πάντα νῶν, refragantibus libris omnibus. Ὁ πάντα νȣ̃ς est Hermes, qui totum mens omnino mens, et quasi ipsa mens. Quod quantopere Hermetis personae conveniat nemo non videt, exhibetque praeterea eandem locutionem bis ipse Stobaeus ex Herodoteo illo I. 32 πᾶν ἐστι ἄνθρωπος συμφορή, quam lectionem frustra tentatam a Reiskio aliisque, firmatam meliorum codicum testimonio recte retinuerunt Wesselingius, Wyttenbachius, Schaeferus.

sit, ejusmodi est, quae in ridendi materiam detorqueatur, in quam continuo detorquere solet haec frivola aetas si quid in veterum monumentis offenderit, quod mystice conceptum enarratumque videatur. Sed piget dicere, quot qualiaque damna bonis literis intulerit haec ipsa in sanctiora grassandi licentia, qua etiam sanctioris doctrinae homines transversos agi dolemus.

Illuc revertor. Supra monui, coceti s. cinni usum frequentari solitum fuisse in Orphicis sacris Eleusiniisque. In eorundem historia poculorum quoque mentio fit varii generis.

Ordiamur ab eo, quod in Fragmentis Orphicis legitur, ubi, XVI, de Cerere ita:

δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Hic eorum qui adhuc Orphica tractarunt, ne verbo quidem quisquam monuit, quid sit illud αἰόλον. Fortasse quod hoc per se unicuique patere crederent, qui vasa opere anglypho aut gemmis variegata nosset. Recte illi quidem, sed, ut fit in his μυστικωτέροις, ita etiam hoc loco αἰόλον sanctiorem praeterea Naturae significationem habet. Ea nimirum a philosophis ac theologis Graecorum αἰόλη dicitur. Sic usurpat Anonymus in Ἀριθμητικῶν Θεολογουμένων libris, sic etiam in ejusdem et argumenti et tituli opere Nicomachus Gerasenus ubi recte emendavit: ἀλλὰ καὶ αὐτὴ Φύσις αἰόλα Graevius in Lectionibus Hesiodeis p. 594 ed. Loesneri, docens αἰόλος et παναίολος varius multivarius esse Naturae propria epitheta. Etiam Sophocli dicitur αἰόλη νύξ Trachin. 93.

Inde Diana ille Ephesia, quae et pro Noctis et Naturae symbolo est, recte dici certe poterat αἰόλη, ut nihil fidenter pronuntiemus de illa inscriptione, quam Deae Ephesiae simulacrum exhibet apud Boisardum in Topogr. Rom. part. IV. tab. 118:

ΦΥΣΙΣ ΠΑΝΑΙΟΛΟΣ

ΠΑΝΤ. ΜΗΤ.

Quo vero sensu utraque varia dicatur, non necesse est cuiquam explicari, neque minus apparet, cur jam poculum a Cerere, et ipsâ almâ rerum mâtre sumtum idemque mysticum in mystico carmine αἰόλον varium dicatur. Similiter in Λιθικοῖς Orphei 704 ad sacrum mysticum adhibitum legimus Ὄφιν αἰόλον serpentem variegatum. Sed de serpentibus dicemus alias. In Pindari autem Scholiaste Nem. V. 94 conjecturis tentatam hanc ipsam vocem video, ut vitiosam. Quod secus est.

Verba autem sunt hujusmodi: — ὥτως αἰόλον ἐκπέτασον τὸ ἄρμενον. Ubi αἰόλον utrinque aptissimum est, sive vela cogites undique versatilia sive picta variegataque. Etiam sequentia poscunt eam vocem: ἀλληγορῶν δὲ ἐνδείκνυται τὴν περιουσίαν τῶν θαυμάτων.

Celebratur praeterea in Eleusiniorum mentione vas testaceum, quod ultimo horum festorum die, cum legitimis ritibus everti solitum fuisse narrat ipse Athenaeus XI. 93. Ei nomen erat πλημοχόη, indeque hic ipse supremus festorum

dies eodem nomine venit, quod e plemochoȣ sacrae hae libationes (αἱ μυστηριώτιδες σπονδαὶ *) fierent. Haec hactenus.

Explicandâ enim restant haec extrema loci illius defecti apud Athenaeum; quae sic habent:

διὸ ἐκ τȣ́τȣ σπενδέσθαι.

Hoc est, propterea quod pro mirifico vase habendum sit τὸ κόνδυ, etiam ex eo libari.

Libamina autem in religione Persarum veterum quam vim habuerint loquuntur et horum libri, quotquot servati habentur, sacri **), et vero graecorum scriptorum haud pauca testimonia. In quorum numero habendus est locus classicus apud Historiae patrem VII. 54, qui Xerxem narrat, cum in eo esset ut, Europam petens, cum exercitu mare trajiceret, exorto sole precibus factis ex aureâ phialâ in mare libasse, peractisque sacris, eam ipsam phialam, cum cratere aureo, in mare demisisse ***).

*) In Eleusiniorum sacerdotibus erant propterea, qui dicerentur σπονδοφόροι. Erat insuper ὑδρανὸς, qui sacrâ undâ lustraret initiandos.

**) Frequentatur per eos libros mentio Havani, hoc est sacri calicis aurei argenteive, quo libare solerent Persae. vid., ne plura, Zendavestae partem I, Izeschne Ha XXII. Visper. XI. De libatione a Xerxe in solis honorem peractâ digna quae legantur monet Kleukerus Append. II. 3. p. 24.

***) Quod ibi bini codd. Pariss. apud Larcherum habent κατῆκεν ἐς τὸ πέλαγος, hoc ipso magis Atticorum auribus, quam usui Herodoteo consultum esse nemo ignorat, qui sciat, quam raro hic scriptor lenire soleat orationem inserendo N ἐφελκυστικόν. Itaque recte Schaeferus retinuit κατῆκε ἐς. — Caeterum

Libaminis alius Oceano facti ex antiquo sacroque poculo mentio fit a Virgilio Georgicorum IV. 380 versibus luculentis, ubi Cyrene Aristaeo:

„ — — Cape Maeonii carchesia Bacchi,
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores."

Ubi, quo sensu Oceanus rerum pater dicatur nemo dubitet, qui sciat esse haec e sacris Orphicis repetenda, et revera similiter in Orphici Argonauticis 326 Mystagogus cum Oceano libat, tum reliquis diis deabusque qui undis praesunt:

apud Athenaeum XI. 27 memoratur Persica quaedam phiala, quae βατιάκη dicatur, ejusque diminutivum XI. 68 βατιάκιον. Quod ipsum vocabulum Polluci VI. 16 restituendum censuerunt interpretes pro [illegible]uod ante legebatur βησιακὸν. Ad quem locum vir doctus in margine exempli nostri bifariam conjecerat: βησσιακόν, cogitans de Bessis Thraciis, et βησίον, quod apud Hesychium dicitur poculi genus. Βατιάκας autem in Darii regis poculis fuisse, confectas, ex aere Indico tradit Pseudo-Aristoteles mirabil. auscult. cap. 50, ubi jam Fridericus Sylburgius, Athenaeum secutus conjecerat βατιάκας, vid. Niclasium ad h. l. Batiaca, ut hoc addam, et batiola usurpabantur etiam apud Romanos vid. Nonium XV. 20. Plaut. Stich. IV. 5. 12 laudatos a doctissimo Beckmanno ad h. l. p. 100, qui haec Darii pocula pro iisdem haberi docet, de quibus in sacro codice loquitur Esdras VIII. 26. 27. Hoc datâ occasione moneo de alio vase Persico, quod βῖκος dicitur ab Athenaeo XI. 29, et Φιαλῶδες ποτήριον perhibetur esse. De scriptura vid. Schweighaeuseri not. de orientali, quod fertur, etymo Lexicon Xenophont. s. h. v. Equidem hoc addam, Polluce teste VII. 33 βίκους esse e figlino opere. Hoc si verum est, aut falsus est Ctesias cum traderet ap. Athen. XI. 11 p. 501 Persarum si quem rex, ignominia adfici voluisset, eum oportuisse fictilibus uti, aut Xenophon parum diligens in observandis Persarum moribus, qui Cyrum minorem amicis βίκας mittere faceret. Eadem suspicio est de cothone Laconico poculo, Cyropaedia I. 28. Qua de re monui ad Fragment. Historicor. graecor. p. 129.

καὶ τότε χρυσείην φιάλην χείρεσσιν ἐμαῖσιν
ἀμπλήσας κυκεῶνος, ἐφεξείης ἐπένευμα,

Sequuntur preces:

Ὠκεανοῦ μεδέοντες ἁλικλυστοῖό τε πόντου
ἐμβύθιοι μάκαρες —

Eum locum totum translatum huc esse ex egregio illo Pindari Pyth. IV. 343, qui Jasonem ex aurea phiala diis libantem faciat, docte nuper monstravit Huschkius in commentatione de Orphei Argonaut. pag. 8. Illuc revertor. Notum est Jonicae sectae philosophos ex Oceano s. aquis rerum universarum initia repetiisse Nestoreum porro calicem ab Asclepiade vidimus globosum appellari ad mundi speciem, quoniam illo ipso humidum alimentum reciperetur. In eandem mentem Proclus Comment. in Platonis Timaeum p. 318. *ζωῆς τὸ ὑγρὸν σύμβολον* dicit. Qua de re satis a nobis monitum videtur esse.

De Carchesio pauca dicemus nondum occupata a doctis Athenaei interpretibus. Naucratitae enim fide XI. 49. scimus *τὸ καρχήσιον* neutiquam fuisse communi usui destinatum, sed antiquitus dicatum deorum religioni (*) celebratumque poetarum carminibus. Qua de re loquuntur, Sophoclis, Sapphus, aliorum loci a Deipnosophista citati. Pro armamentorum navis parte

*) Solebant enim veteres, teste ipso Athenaeo, certa pocula religionibus reservare. Hinc cum dignitate quadam, recte observante Heynio, Virgilius Aeneid VI. 77 delegit carchesium. Idem praeterea in pretiosissimis habebatur vasis vid. Athen XI. 16. Huc vel maxime facit locus Alciphronis epist. II. 3. 45 qui carchesia cum diadematibus regiis jungit.

Ac, si quaeratur, illius operis Orphici de crateribus quodnam fuisse argumentum putandum sit, his ipsis, quae modo posuimus, magis vero iis, quae postea disputabimus, firmatur Eschenbachii sententia, qui in Epigene pag. 62 seqq. docet illo carmine explicatum fuisse mundanae animae reliquarumque animarum et originem et temperamentum (κράσιν, probante etiam J. A. Fabricio in Bibl. Graec. I. 169. Harles.

Jam hoc insuper velimus teneri, ipsum illud fragmentum e crateribus, paullo ante citatum, incipere a mentione Ἑρμῦ, cui Nymphae adduntur et qui reliqui dii deaeque elementis praesunt. Hermes autem, si quis alius, celebratus veterum populorum fama et religionibus. E Phoeniciis quidem sacris ad sacra Samothracia traducta videtur Casmili sive Cadmili notio. Qua de re plura sciremus, si exstarent Aristotelis, Polemonis, Callistrati opera, quibus hae religiones expositae fuisse videantur ei, qui legerit Athenaei locum IX, p. 372. Dionys. Halicarnass. I. 68. et Scholiast. Apollonii I. 922. Nunc Strabonis hac de re narratio primaria est, inserta libro decimo. Casmilum autem, qui in ἱερῷ λόγῳ pro eodem haberetur cum Jaccho, in vulgari fabulâ dictum esse Ἑρμῆν, his ipsis testibus, constat. Ejus λόγυ ἱερῦ mentionem facit Herodotus loco memorabili II. 51, addens, se consulto haec ipsa reticere, in mysteriis tantummodo patefacienda.

Non aeque difficiles posterioris aetatis philosophi, in his Plotinus, cujus hac de re interpretatio legitur Ennead. III.

καρχήσιον usurpavit Pindarus, Nem. V. 94. ad quem locum consulendus Scholiastes. In loco autem Sapphus haud scio an γαμβρῷ eodem sensu accipi debeat, quo hac voce eam poetriam usam esse dicit Pollux III. 3. 32, conf. Schol. minora ad Iliad. V. 474, ut sit pro viro maritove ipso, non pro genero. Pherecydeum vero locum, ap. Athen. l. l., de carchesio aureo, quod Jupiter dono dedisset Alcmenae, multo pleniorem e Scholiaste ad Homeri Odyss. XI. 265. dedit diligentissimus Sturzius in Pherecydeis p. 103. seq. Charonis porro testimonium ex hujus ὅροις de hoc ipso Alcmenes carchesio exhibui in Fragmentis historic. graec. antiquiss. p. 122. Nondum autem me poenitet eorum, quae ibi contra Schweighaeuseri rationem disputavi. Nam ut hoc largiar, in multis locis aliis recte reponi ὥροις in annalibus, ita haudquaquam video quomodo in hoc Athenaei loco, ubi nec codices mutationi addicant, ea conjectura queat conciliari cum loco Suidae s. χάρων, ut alia taceam, quae ibi adtuli.

Caeterum illud carchesium, Alcmenae dono datum, expressum conspiciebatur in arcâ Cypseli, (de qua disputavit Heynius) vid. Pausan. V. 18. p. 79. Fac. Eam vero fabulam, de Jove Alcmenae carchesium donante ad Bacchicum anaglyphum illustrandum ingeniose adhibuit Boettigerus in Museo archaeologico ad tab. IV. p. 94. Exhibetur ibi Ariadna, nova nupta, poculum oblongum manibus tenens.

Illuc redeo. Qua ratione Xerxes Mare, eâdem Alexander magnus Neptunum propitium sibi reddere studuit. Et videri hic

potest illum regem imitando exprimere voluisse, cum, quo tempore in oceanum evehi aggrederetur, phialam auream, unde ei deo libasset et praeterea crateres aureos diceretur in mare projecisse vid. Arrian. de Exped. Alex. VI. 19. Diodor. Sicul. XVII. 104.

Ex hoc autem fonte ad orientales homines manasse videtur illa fama de poculo vel potius poculis Alexandri mirificis, in qua ornandâ poëtarum ingenia et ipsa mirifice luserunt. Quam rem egregie illustrat Ferdusii nobilissimi Persarum poëtae insignis locus e Schahnahmeh, insertus Chrestomathiae Persicae Wilkenii nostri pag. 199 *).

„Quum Alexander pervenisset in palatium suum, gyrantes exierunt Graeci locis suis, et laeti non viderunt noctem regis (viderunt autem) quatuor pocula. Gyrantibus ita locutus est (Alexander): Salvi estote, laetamini hoc fausto omine nostro, hic enim scyphus in pugna est salus nostra, princeps siderum est in potestate nostra."

En disputationem nostram eo reductam, unde profecta est, en et hic poculi illius astrologici mysticique manifesta vestigia!

Quae, equidem gaudebo, si haud infeliciter legisse visus fuero, ut jam primo loco:

certius apud unumquemque constet universa ratio illius poculi mystici veterum populorum, quod idem Solomonis, Bac-

*) Cf. pag. 61 interpretationis latinae ab ipso Wilkenio confectae, quam equidem hoc loco reddendam censui, quo clarius pateficeret sermonis orientalis poeticique nativus color et indoles.

καρχήσιον usurpavit Pindarus, Nem. V. 94. ad quem locum consulendus Scholiastes. In loco autem Sapphus haud scio an γαμβρῷ eodem sensu accipi debeat, quo hac voce eam poetriam usam esse dicit Pollux III. 3. 32, conf. Schol. minora ad Iliad. V. 474, ut sit pro viro maritoque ipso, non pro genero. Pherecydeum vero locum, ap. Athen. l. l., de charchesio aureo, quod Jupiter dono dedisset Alcmenae, multo pleniorem e Scholiaste ad Homeri Odyss. XI. 265. dedit diligentissimus Sturzius in Pherecydeis pag. 103. seq. Charonis porro locum ex hujus ὤροις de hoc ipso Alcmenes carchesio exhibui in Fragmentis historic. graec. antiquiss. p. 120. Nondum autem me poenitet eorum, quae ibi contra Schweighaeuseri rationem disputavi. Nam ut hoc largiar, in multis locis aliis recte reponi ὤροις in annalibus, ita haudquaquam video quomodo in hoc Athenaei loco, ubi nec codices mutationi addicant, ea conjectura queat conciliari cum loco Suidae s. χάρων, ut alia taceam, quae ibi adtuli.

Caeterum illud carchesium Alcmenae dono datum expressum conspiciebatur in arcâ Cypseli, (de qua disputavit Heynius) vid. Pausan. V. 18. p. 79. Fac. Eam vero fabulam, de Jove Alcmenae carchesium donante ad Bacchicum anaglyphum illustrandum ingeniose adhibuit Boettigerus in Museo archaeologico ad tab. IV. p. 94. Exhibetur ibi Alcmena, nova nupta, poculum oblongum manibus tenens.

Illuc redeo. Eodem modo, quo Xerxes Mare, Alexander magnus Neptunum propitium sibi reddere studuit. Et videri hic

potest illum regem imitando exprimere voluisse, cum, quo tempore in oceanum evehi aggrederetur, phialam auream, unde ei deo libasset et praeterea crateres aureos diceretur in mare projecisse vid. Arrian de Exped. Alex. VI. 19. Diodor. Sicul. XVII. 104.

Ex hoc autem fonte ad orientales homines manasse videtur illa fama de poculo vel potius poculis Alexandri mirificis, in qua ornandâ poëtarum ingenia et ipsa mirifice luserunt. Quam rem egregie illustrat Ferdusii nobilissimi Persarum poëtae insignis locus e Schahnahmeh, insertus Chrestomathiae Persicae Wilkenii nostri pag. 199 *).

„Quum Alexander pervenisset in palatium suum, gyrantes exierunt Graeci locis suis, et laeti non viderunt noctem regis (viderunt autem) quatuor pocula. Gyrantibus ita locutus est (Alexander): Salvi estote, laetamini hoc fausto omine nostro, hic enim scyphus in pugna est salus nostra, princeps siderum est in potestate nostra."

En disputationem nostram eo reductam, unde profecta est, en et hic poculi illius astrologici mysticique manifesta vestigia!

Quae, equidem gaudebo, si haud infeliciter legisse visus fuero, ut jam primo loco:

certius apud unumquemque constet universa ratio illius poculi mystici veterum populorum, quod idem Bac-

*) Cf. pag. 61 interpretationis latinae ab ipso Wilkenio confectae, quam equidem hoc loco reddendam censui, quo clarius patefieret sermonis orientalis poeticique nativus color et indoles.

chi, Dschemi, Hermetis, Josephi, Alexandri, tanquam summorum sive deorum sive heroum, nunc poculum, nunc globus, nunc speculum, nunc pharus dicatur; deinde

ut jam expedita videatur impedita loci Nicomachei apud Athenaeum sententia de ollâ Persarum mysticâ, quae eâdem nobis quidem et Hermetis laterna dicitur.

Quae omnia ubi mecum reputo; facile adducor, ut credam, universum illud de vase mundano placitum profectum esse ex antiquissimis Indiae religionibus de Baccho, tanquam Libero Patre mundique opifice, traductumque deinceps ad Persas Aegyptios Graecosque, hodieque comparere in orientalium hominum fama et carminibus.

In Bachicis denique sacris mysticis phialarum quoque usus celebratur. Quam in rem classicus locus legitur apud eundem scriptorem qui tot recondita e Bacchicis rebus exhibet, Nonnum, in cujus Dionysiacorum libro IX p. 256 haec leguntur de Inone marinâ, sive Leucothea, quae et alia Bacchica orgia prudenter instituisse dicitur,

καὶ φιάλας γυμνοῖσιν ἐπὶ στέρνοισι καθάψαι
χαλκείας ἐνόησε, καὶ ἰξύϊ δέρματα νεβρῶν
καὶ τελετῆς ζαθέης ἐγκύμονα μύστιδα κίστην
παίγνια κουρίζοντι διδασκομένῳ Διονύσῳ.

Quibus versibus rituum in Cereris legiferae (Θεσμοφόρου) et Jachi mysteriis usurpatorum memoria inest. Ac de phialis non est, quod hoc loco dicamus post illa, quae supra posuimus. Hinnulorum vero pelles erant in sacrorum peculiari apparatu, quod docet Arignote Pythagorea nobili fragmento apud Harpocrationem s. v. νεβρίζειν. Induebantur enim his pellibus, qui vellent initiari. Mysticam porro cistam (κίστην), quae h. l.

gravida dicitur, utpote plena variarum rerum, non pro eâdem habendam esse cum mysticâ vanno (σκάφῃ s. λίκνῳ *), quae confusio multos libros occupavit, idoneis rationibus docuit Winkelmannus Monumenti ined. I. 46.

Quod vero disciplinae Bacchicae, Inoni commissae **), mentionem facit poëta, haud alienum censebitur ab hac disputione, quae tot res Ἑρμοῦ (Mercurii) habeat, si in limine ponamus illud, hujus ipsius dei in educando Baccho partes fuisse primarias. Cujus rei vestigia exstant cum in operibus artis, tum apud poëtas. Sic, ut hoc utar, Mercurius Bacchum puerum ulnis gestans conspicitur in novissimo opere Zoegae, cui titulus: Li Bassirilievi antichi di Roma incisi da Piroli illustr. d. Zoega, tab. III. E poëtis autem ipse laudari potest Nonnus qui p. 260 a Mercurio Bacchum Nymphis nutriendum tradi facit, veterum in hac quoque re carminum vestigia premens, quae et alibi exstant, et apud Athenaeum XI. 13. p. 205, (ubi Theophrasti liber περὶ Μέθης laudatur) cf. XV. 48. p. 553 (e Philochoro Atticarum rerum Scriptore).

At vero Athenaeo Epitom. II. 7 Musae Bacchi dicuntur nutrices. Unde hunc locum vitii suspectum habet doctissimus Schweighaeuserus Animadverss. p. 271. Recte ille quidem ad hunc locum: Quodsi tamen alibi Musarum alumnum Bacchum dictum legam, equidem non mirer, quippe qui sciam, primum Bacchi patriam saepe Lydiam vocari et ipsum Lydum ***), deinde Nymphas norim a Lydis Musas dici solitas fuisse, vid. Stephan. Byzant. s. τέῤῥηβος et Suidam s. Νύμφαι.

*) Λίκιον corruptum apud Proclum in Platonis Timaeum p. 124 in λίκνον mutandum esse jam vidit spectatae eruditionis vir Sanctocrucius (Saintecroix) Memoir. sur la relig. des Anciens p. 431.

**) Hinc: Bacchus Inoo pectore reptans apud Statium in Sylvis II. 1. 98.

***) Euripidis Bacchae 58. 464.

Sed cum a Baccho ad Musas paullatim deflexerit disputatio, nos quidem, Cives, reputemus praecipue illud, Bacchum et Musas συγχορευτὰς nobis datos a diis esse *) cumque τὸν Διόνυσον aeque atque Apollinem, tanquam Μουσαγέτην (Musageten) coluerint veteres **), nos studia nostra omnia eo dirigamus, ut strenui Musarum famuli alumnique reperiamur.

Jam cum praeterea ex hac ipsa disputatione constet, vasorum sacrorum eum quoque usum increbruisse apud Graecos, ut praemiorum loco essent in iis certaminibus ***), quae quia Musis consecrarentur, Musica dicerentur: en hujusmodi certamina Vobis pandit ILLE, cujus Natalitia hodie laetabundi celebramus.

Voluit enim AUGUSTUS PRINCEPS MAGNUS BADARUM DUX hujusque Academiae RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS suppeditari Vobis, HUMANISSIMI COMMILITONES, qui in hac literarum Universitate literis operamini, opportunitatem cum experiendarum virium, tum edendorum speciminum, unde posset

*) Julianus imperator Platonem secutus auctorem Orat. IV. p. 152 ed. Spanhem.

**) Pausan. Atticor. cap. 2. 3. Diodor. IV. 5.

***) De Panathenaeis addatur Corsini in Fastis. Attic. I.

spectari et ingenii efficacia et meditationis industria, collocata cum fructu in iis doctrinarum disclipinis, quas unusquisque Vestrum cum maxime profiteretur. Itaque eâ, quae singularis in EO inest, munificentiâ, praemia constituit, iis eroganda, qui in certaminibus literariis, deinceps quotannis committendis, victoriam reportasse judicabuntur. Neque tamen eorum operam qui proxime ad praemiorum laudem accessisse visi fuerint, in scriniorum umbrâ delitescere voluit OPTIMI PRINCIPIS humanitas, sed et ipsam proferri in lucem, quo et secundaria virtus justa laudum suarum praemia ferret. Verissimum est enim illud apud Ciceronem *): „Quodsi quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenii vis forte deficiat, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis: teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est, in secundis tertiisque consistere."

Sed universi hujus instituti rationes non est cur hoc loco uberius persequamur. MAGNIFICUS enim Academiae PRORECTOR cum universo SENATU jussit easdem Civibus patefieri peculiari literarum significatione in valvis publice propositarum. Nunc hoc agimus, ut aperiatur ratio quaestionum in proximum annum a singulis hujus literariae civitatis ordinibus propositarum.

Atque, quae THEOLOGORUM ordini placuit, ea sic habet: „Exponatur dogma de THEOPNEUSTIA exegetice, historice et philosophice, monstreturque ipsius usus popularis."

*) in oratore I. 4.

Jurisconsultorum autem ordo hoc postulat,
ut in clara luce ponatur doctrina de Beneficio Competentiae.

Medicinae porro Professorum Societas jubet
„Experimentis institutis explorari: an aër atmosphaericus ad sustentandam animalium vitam requiratur? quidnam pars aëris oxygena, quid pars azotica ad vitam conferat? quibus viis aër in vasa et cellulosum corporis organici textum introducatur? an sanguini aut lymphae animalium admisceatur, qua ratione vitali processui impendatur et incitationis organici actum producat?"

Philosophorum denique ordo hoc proponit:
„Ut conferantur Nonni Dionysiacorum libri sex, inde ab octavi initio usque ad decimi tertii exitum, cum aliis ejusdem argumenti carminibus carminumque reliquiis v. c. Euripidis Bacchis et Aeschylearum Sophoclearumque aliquot fabularum fragmentis, porro cum Diodori Siculi libris prioribus et Indicâ Historiâ Arriani, ad mythorum indolem coloremque, ad poëticam cum rationem tum orationem, ad rei metricae leges, quo et fontes eruantur, unde Nonnus sua duxerit, intelligaturque quidquid idem his in rebus, sive feliciter sive secus novasse putandus sit."

Habetis igitur nunc, Commilitones, campum, in quo Vestra virtus, parta strenuis studiis et meditandi usu confirmata

excurrat. Habetis provinciam, in qua gerendâ expromatis quid ingenium valeat quidque recte instituta disciplina.

Nos vero, quicunque in hac academiâ literas et discimus et docemus, grato accipimus animo hunc recens ad nos transmissum fructum ejus liberalitatis, cujus tot jam documenta in hac universitate extare voluit ipsius MAGNIFICENTISSIMUS RECTOR. Et hic ipse, qui nunc vertitur, annus ex eo genere plura habet. Neque enim ullus hujus academiae ordo est, quin, se hoc ipso tempore eâdem clementiâ mirifice adjutum, gaudeat. Namque Theologorum consessum auctum vidimus binis Professoribus, Medicorum uno, Jureconsultorum binis, Philosophorumque ordinem pari numero, unum denique additum Oeconomiae Professorum collegio. Qui nunc singulas artes singuli cum summâ laude tradunt. Instituta vidimus insuper bina Seminaria et Paedagogicum et Philologicum Auctum praeterea ut ante, ita his ipsis sex mensibus, undique confluentium civium numerum, et quod pluris facimus, plerorumque studia fervere incitata laudabili industriâ, moresque ad humanitatis regulam exactos conformatosque. Florere omnino universam hanc laetamur literarum civitatem, salubriter constitutam legibus prudenterque administratam. Reducem etiam e castris restitutumque ex ingravescentis morbi discrimine et insigniter confirma-

tum intra haec ipsa moenia salutavimus AUGUSTUM PRINCIPEM MAGNUM DUCEM HEREDEM.

Verum, ut sunt humana, abeuntem hinc vidimus, mitioresque Galliae partes petentem nobilissimum Reizensteinium, cujus consiliis et demum effloruit haec academia et maturior hodieque viget. Quem virum, qui, incertum, utrum sapientiâ illustrior an amabilior humanitate, sicuti praesentem colimus sic absentem votis nostris prosequimur. Remuneretur Eum Deus prosperâ valetudine bonisque omnibus, quae Ille bene omnia prospereque in hoc bonarum artium domicilio gessit.

Caeterum, quidquid nostrarum rerum est, id felix faustumque servatur, rataque facta vota singula, quaecunque superiore anno conceperamus.

Ac nunc cum maxime, postquam labentium temporum orbis iterum reduxit CLEMENTISSIMI PRINCIPIS natales, HUNC IPSUM laetantes conspicimus pristino robore valentem, quanquam in aetatis octogesimi anni limine constitutum.

His tot talibusque divinae indulgentiae beneficiis obstricti grates habemus agimusque Summo Numini et fausta quaevis apprecamur Optimo Principi, qui res nostras tantopere adjuvit. Fruatur HUJUS Senectus eo solatio, quo recreare pietas prisca-

que fides sui studiosos solet, salvumque IDEM ac sospitem videat florere PRINCIPEM NEPOTEM et stare universam SUAM AUGUSTAM DOMUM.

Nos vero, quibus juvenes bonis artibus, hoc est veri honestique sensu imbuendos tradidit Deus, Dei reverentia firmatos servet, ut innocenter agamus aevum, neque ullis rerum terrenarum vicissitudinibus a recto veri honestique limite deflectamur.

EXCURSUS AD PAG. 48—50.

TRACTANTUR INSIGNIORA QUAEDAM, IN HIS ORPHICA, DE FATO, RERUMQUE, QUIBUS MUNDUS CONTINETUR, VICISSITUDINIBUS, PER HERACLITI RELIQUIAS LIBROSQUE STOICORUM.

Apud Diogenem Laërtium in vitâ Heracliti (IX. §. 1.) leguntur haec: Μεγαλόφρων δὲ γέγονε (Ἡράκλειτος) παρ' ὁντιναοῦν, καὶ ὑπερόπτης· ὡς καὶ ἐκ τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ δῆλον, ἐν ᾧ φησι, Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόραν, αὖθίς τε Ξενοφάνεά τε καὶ Ἑκαταῖον. εἶναι γὰρ ἓν τὸ σοφὸν ἐπίστασθαι γνώμην ἥτε οἱ ἐγκυβερνήσει πάντα διὰ πάντων. De priore hujus loci parte diximus alias (cf. Historicor. Graecor. antiquiss. Fragmenta, pag. 7 seq.): nunc reliqua tractabimus. Eum doctissimus Laërtii interpres Menagius recte difficillimum dicit. Is lectionem editionis Stephanianae, quam modo exhibuimus, praefert alteri: ὅτε οὐ ἐγκυβερνῆσαι. — Cod. Arundel. sic habet: ὅτ' ἐγκ. Quid Kuhnius tentarit, apud ipsum vide. Mihi quidem non arridet,

nam, ut caetera taceam, illud ipsum quid sit ἐγκυβερνήσει quaeritur, cujus vocabuli exempla alia desidero. Equidem hanc depravationem ex eorum genere esse suspicor, quae e prava pronuntiatione legentis vel potius dictantis in calamum fluxerunt. Quod quam late pateat neminem fugit, qui veteres codices tractarit. Hanc rationem secutus e Stephanianae lectionis vestigiis veram ita posse erui arbitror, ut legas — γνώμην ᾗ δέει ἐν κυβερνήσει πάντα διὰ πάντων. Hoc sensu: „Eam solam esse sapientiam, nosse quomodo ratio in sua gubernatione omnia colligare soleat per omnia.

Singula confirmabimus. De γνώμῃ non est quod moneam post Aldobrandini observationem, qui hanc vocem Platoni restituit apud eundem Diogenem III. 75. cf. Stobaei Eclog. Vol. I. p. 58. 60. ubi εἱμαρμένη et λόγος δημιουργός eodem sensu. Haec est mens illa mundi gubernatrix, quam in omnibus inesse docebat Heraclitus. Quod ideo moneo, quia vir quidam doctus, quem nominari non necesse est, in hoc loco vertendo lapsus est. Ita enim ille: „Alle Weisheit bestehet nur (?) darin, das Gesetz (?) zu erkennen, nach welchem alles in allen (?) regiert wird.“ Equidem meam conjecturam secutus verterim: „Denn Eines sey Weisheit, wissen wie die Seele waltend Alles bindet durch Alles.“ Illuc revertor — Vocis ᾗ et in libris vestigia exstant, eamque Heracliti locus ejusdem fere argumenti confirmat apud Sextum Empiric. adv. Mathem. VIII. p. 399. Fabric. ἡ φρόνησις ἐστιν οὐκ ἀλλό τι ἀλλ' ἐξήγησις τοῦ τρόπου τῆς τοῦ παντὸς διοικήσεως. cf. Dionem Chrysostom.

Orat. LV. Tom. II. p. 282. Reiske. — *δέει* nec sono discrepat a *τε οἱ* *) et vero vel maxime frequentatur scriptoribus in declaranda vi fati, vid. Gataker ad Marcum Anton. X. 28, ubi rerum omnium necessitas *ἔνδεσις* illigatio dicitur, sicut et Seneca Epist. 77. „Series, ait, invicta et nulla mutabilis ope illigat et trahit. **). Huc facit Dio Chrysostomus Orat. XXX, p. 554. Reisk. (*ἄλυσιν* de fato loquitur) — *ᾗ δὲ ἔφαμεν τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ τῶν θεῶν δεδέσθαι.* Similiter Stoici definiebant fatum: *εἱρμὸν αἰτιῶν, τοῦτ' ἐστὶ τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον* apud Plutarch. de plac. Philosoph. I, 28. p. 268. ed. Beck. Suidas in *εἱμαρμένη* exhibet *ἐπισύνδεσμον*. Iidem Stoici qui Jovem per *εἱμαρμένην* declararent, huc trahebant locum Homericum, de catenâ aurea Jovis Iliad. VIII. 18. seqq. vid. Eustath. p. 695. Haec similitudo de catenâ est etiam apud Brisonem Stobaei Tom. II. 2. Tit. 82 cf. Gatackeri Commentar. ad Antonin. pag. 245. Adde et hoc: *Εἱμαρμένη, οἱονεὶ εἰρομένη· διὰ τὸ τοῦ χρόνου δεῖσθαι καὶ διαστάσεως, ἵνα ὁ εἱρμὸς τῶν ὑποκειμένων σώζηται·* Sequuntur versus nonnulli. vid. Joh. Lydi

*) Verbum *δέω* saepius corruptum per veterum libros, ut apud Artemidorum Oneirocrit. II, 13, vid. van Goens et Koen ad Gregorium Corinth. de Dialect. p. 188.

**) Adde Cic. Divinat. I, 55. „Fatum autem id appello, quod Graeci *εἱμαρμένην*, id est ordinem seriemque caussarum, cum caussa caussae nexa rem ex se gignit." Hunc nexum Cic. de Fato Cap. 4. contagionem vocat, docente Bremio, qui eam lectionem bene tuetur. Eam agnoscunt bini codices, qui penes me sunt, Uffenbach. et Norimbergensis. „Contagia mutua corporis atque animae" dixit Lucretius III. 346.

operis περὶ μηνῶν specimen in Bibl. der alt. Litt. u. Kunst II. 7. p. 53. Unde et in declaranda vi omnia moderantis Amoris apud Platon. Sympos. p. 74. Wolf. legitur: ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. Praecipue δέω et inde composita junguntur ἀνάγκῃ *) Herodot. I, 11, ἐνδεῖν ἀναγκαίῃ, et IX, 16, loco gravissimo de humanae fortunae acerbitate: ἑπόμεθα ἀναγκαίῃ ἐνδεδεμένοι. Xenophontis loca congessit Sturz in Lex. Xenoph. I, p. 636. Plato in Cratylo jungit δεσμὸν et ἀνάγκην et Platonicus Plotinus Ennead. III, 2, 10. ἔτοι γὰρ οἱ λόγοι συνδέουσι ἡμᾶς τοῖς ἄστροις — καὶ ὑποτάττουσι τῇ ἀνάγκῃ. In Alexidis autem Fragmento apud Athen. IX. p. 400 ed. Schweigh. cujus partem feliciter restituit Jacobs Animadverss. in Athenaeum p. 43, συνάπτειν dicitur lex necessitatis:

καὶ τὴν τελευτὴν τοῦ βίου συνῆψέ τις
μόνοις ἀνάγκης θεσμὸς οὐχ ὁρώμενος.

De κυβερνήσει non est quod dubitemus. Ea similitudine utitur Plutarchus, ubi Ephesii philosophi mentionem facit, de Isid. et Osirid. p. 208. ὅπως κυβερνᾶται τὸ σύμπαν καθ' Ἡράκλειτον. Eadem similitudo frequentatur in commemorandâ Providentia. Qua de re multus est Plato de Legib. X. l. supr. l. nec minus Aelianus in fragmentis Περὶ προνοίας. Vid. supr. Nec vocabulum δέω, ligo, alienum est a re nautica, unde

*) Singula Fati nomina ἀνάγκη, εἱμαρμένη, πεπρωμένη, μοῖρα κ. τ. λ. exhibet Aristoteles, qui fertur, de Mundo p. 320. seqq. ed. Kapp. Hellanici locus de ἀνάγκῃ et omnium rerum primordiis ex mente Orphicorum exstat apud Damascium de Principiis in Wolfii Anecdotis Gr. III. p. 253. 254.

ea similitudo desumta. Cf. Ilgen ad Hymn. Homer. p. 328 et Matthiae pag. 185. — Denique sententiae nexus ἐπίστασθαι γνώμην ἢ δέει tritissimus est Atticis. vid. ne plura, Platon. Sympos. XXI. init. plura dabit Davies ad Cic. de N.D. I, 26.

Est tamen et alia ratio, qua expediri Laërtii locus queat: — γνώμην ἢ ὠθέει ἐν κυβερνήσει πάντα διὰ πάντων. „Nosse, quomodo ratio pellat (trudat) in gubernatione omnia per omnia.“

Platon. Cratyl. p. 64, ed. Heindorf — ὅσοι δ' αὖ ὠσίαν, σχεδόν τι αὖ ἔτοι καθ' Ἡράκλειτον ἂν ἡγοῖντο τὰ ὄντα ἰέναι τε πάντα, καὶ μένειν ὀδέν· τὸ ὂν αἴτιον καὶ ἀρχηγὸν αὐτῶν εἶναι τὶ ὠθῦν, ὅθεν δὴ καλῶς ἔχειν αὐτὸ Ὠσίαν ὀνομάσθαι. Plotinus Enn. III, 1, 7, quo loco, dubitari nequit, quin is Heraclitum Heracliteosque tangat, licet eorum nomina non ponat, quod continuo adparebit. Λοιπὸν δὲ ἰδεῖν τὴν ἐπιπλέκυσαν, καὶ οἷον συνείρυσαν ἀλλήλοις πάντα, καὶ τὸ πῶς ἀφ' ἑκάστυ *) ἐπιφέρυσαν, ἀρχὴν τιθεμένην μίαν, ἀφ' ἧς πάντα κατὰ λόγυς γραμματικὺς (confidenter lege σπερματικὺς. Continuo firmabimus.) περαίνεται. ἔστι μὲν ὖν καὶ αὕτη ἡ δόξα ἐγγὺς ἐκείνης τῆς πᾶσαν κατάσχεσιν (leg. cum Ficino καὶ σχέσιν) καὶ κίνησιν ἡμετέραν τε καὶ πᾶσαν ἐκ τῆς τῶν ὅλων ψυχῆς ἥκειν λεγύσης. Εἰ καὶ (legendum fortasse καὶ εἰ, neque tamen hoc necessarium) βύλεταί τις ἡμῖν καὶ ἑκάστοις χαρίζεσθαι εἰς τὸ παρ' ἡμῶν ποιεῖν τι, ἔχει μὲν ὖν τὴν πάντως πάντων ἀνάγκην· καὶ πάντων εἰλημμένων τῶν αἰτίων, ὐκ ἔστιν

*) ἐφ' ἑκάστῳ legisse videtur Ficinus, qui vertit „quae singulis conditionem adsignat.“

ἕκαστον μὴ ἐ γίγνεσθαι· ἐδὲν γὰρ ἔτι τὸ κωλῦσον, ἢ ἄλλως γενέσθαι ποιῆσον, εἰ πάντα εἴληπται ἐν τῇ εἱμαρμένῃ· τοιαῦτα δὲ ὄντα ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ὡρμημένα ἡμῖν ἐδὲν καταλείψει ἢ φέρεσθαι ὅπῃ αν ἐκεῖνα ὠθῇ.

Illud σπερματικὲς unice verum est. Quodsi dubites, docebit omnium Plotini disputationum tenor, docebit et Plutarchus de plac. philos. I, 27. 28. Ἡράκλειτος πάντα καθ' εἱμαρμένην. — Ἡράκλειτος ἐσίαν εἱμαρμένης λόγον τὸν διὰ τῆ παντὸς διήκοντα· αὕτη δέ ἐστι τὸ αἰθέριον σῶμα, σπέρμα τῆς τῦ παντὸς γενέσεως. De eodem Heracliti placito usurpat illud σπέρμα διακοσμήσεως Clemens Alex. Strom. V, pag. 712. Potter. Hoc traductum ad Stoicos vid. Gataker ad Antonin IV, 21. Qua de re plura monuimus alibi; vid. Studien I, pag. 79. Hinc explicandus etiam Cicero de Divinat. I, 55. causa — rem ex se gignit. — εἰλημμένων. Cf. Cap. 9. πάντων δὲ ληφθέντων τῶν αἰτίων. Utroque loco est caussis comprehensis. Et sic saepius λαμβάνειν de fato. Quo sensu Herodotus I, 31. 108. IV, 79. usurpat θεὸς λαμβάνει τινά. — εἰλημμένων esset: omnibus caussis arcte conclusis ab εἰλέω constringo, concludo. De quo verborum genere, praeter Hemsterhusium et Ruhnkenium ad Tim. p. 71 nuper dixit Heynius Observv. ad Homer. Tom. VI. p. 323 seq. De εἰλημένος et εἰλημμένος passim confusis cf. Wesseling. et Valkenaer ad Herodot. VI, 133. II, 8. IX, 31. — Similiter in Clemente Alex. Paedag. II, 219. pro τοῖς στρώμασι ἐνειλημμένον emendandum est ἐνειλημένον cf. Artemidor.

Oneirocrit. I, 13 ubi *ἐνειλέμενα τὰς χεῖρας βρέφη*. Haec ideo monuimus, quod nec *εἰλέω* alienum est a fati commemoratione, licet diverso fere sensu adhibitum, ut Herodoteum illud *εἰλεῦνται κῆρες ἀμφί*, ut alia omittam.

Illuc revertor. *κίνησις* et *κινεῖν* non minus frequentantur in descriptione fati cf. Plotin. Enn. III, 1. 2. — *αἰτίαν καὶ ταύτην μόνον ὀ* (leg. *ὀ μόνον*) *κινοῦσαν ἀλλὰ καὶ ποιοῦσαν ἕκαστα*. Ibid. Cap. 4. *ἀλλ' ἄρα μία τις ψυχὴ — περαίνει τὰ πάντα ἕκαστον* (leg. *ἑκάστου*) *ταύτῃ κινουμένου ὡς μέρους ἢ τὸ ὅλων* (lege *ὅλον*) *ἄγει*. Caeterum in sententia Stoicorum de fato ap. Plutarch. plac. philos. I, 27. confusa *ἀκίνητον* et *ἀνίκητον*, ubi vid. Beck pag. 196.

Haec enim Heraclitea de fato placita in suam rem adhibuerunt, subtiliterque disputando confirmare studuerunt Stoicorum principes, ut Chrysippus, Zeno, Posidonius, alii, quorum etiam libri exstabant, qui inscriberentur *περὶ εἱμαρμένης*, vid. Diogen. Laërt. VII, 149. ibiq. Interprett. adde Hugonis Grotii libellum, qui philosophorum sententias de Fato exhibet, p. 160 seqq. ut alios praeteream. Heracliteam opinionem etiam attigit doctissimus Carus, vid. Fülleborn Beiträge. X, pag. 209 seq.

Huc pertinent Ciceronis de Fato aliquot loci, de quibus hac data occasione breviter monebimus.

Cap. X. „Quod si ita est, omnia quae fiunt, caussis fiunt antegressis. Quod si ita est, omnia fato fiunt, efficitur igitur fato fieri quaecunque fiant (fiunt a secunda manu).“

Haec est Codicis Uffenb. lectio. Unde patet Davisii conjecturam non firmari, quam etiam recte improbavit Bremius; in cujus tamen editione nescio quomodo excidit tota illa sententia: motus — nullus.

In loco impeditiore ejusdem argumenti et capitis: „Sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinuerit, — non teneat, omnia fato fieri." reliq. egregia haec Victorii emendatio plane confirmatur codice Norimbergensi, ita ut ea nunc e conjecturis possit eximi.

Similiter in Capite XI extremo firmantur Bremii praecepta de hujus loci lectione rationeque temporum auctoritate libri Uffenbach. Hanc sententiam de vi fati inevitabili traduxerunt ad mortis necessitatem poëtae, philosophi, rerumque scriptores: Homer. Iliad. VI, 488, ubi vid. Eustathium, et quos laudat Heynius Observv. Tom. V, p. 288. Phanocles poëta apud Clement. Alex. cf. Ruhnkenii epistol. crit. II, 299. — Plato Gorgia Sect. 68, quem locum in suos commentarios retulit Marcus Antoninus VII, 46, cf. Bergler ad Alciphron. I, 25. Platonis locum expressit hujus studiosissimus Theopompus rerum scriptor apud Clement. Alex. Strom. VI, p. 749. Illud φιλοψυχεῖν illustrat. Gataker p. 277, adhibitis verbis Pauli Apostol. Act. XX, 24, et Joannis Apocalyps. XII, 11. Antonini Clementisque loci fugerunt Findeisenium Gorgiae editorem p. 221.

Mirifice depravatus est Ciceronis locus de N. D. I, 15. „Jam vero Chrysippus — ipsumque mundum deum dicit esse,

et ejus animi fusionem universam: tum ejus ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem: tum fatalem umbram, et necessitatem rerum futurarum." In monstrosa lectione umbram haerent interpretes. Davisius Ernestusque reposuerunt vim, quod cum per se aptum sit, hoc tamen loco tautologiam parit. Lego: tum fatalem vitae arbitram necessitatem rerum futurarum." Ortum vitium e scribendi compendio VTARBM : VMBRM. vid. Gell. Noct. Att. VI, 2, ubi de Chrysippo ita: — necessitati cuidam et instantiae, quae oritur ex fato, omnium quae sit rerum domina et arbitra rel. Etiam apud Ciceron. l. l., paucis interjectis legitur: „legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit." Quod si forte pro vitae arbitram reponere malis: veritatem, non refragabor. Veritas enim dicitur de fato, vid. Ciceron. l. l., adde de Divinat I, 55, ubi conferenda est nota doctissimi Hottingeri p. 154.

Nec minus ab Heraclito duxerunt Stoici opinionem illam de mundi vicissitudinibus, ejusque ἐκπυρώσει id est conflagratione. Jovem enim, seu naturam ac principium aliarum omnium rerum ignem esse dicebant, ejus enim partem aliquam, crassiorem effectam, verti in animalem ac spirabilem naturam: ex ejus porro densioribus partibus aquam, et ex aqua effici terram, satis autem temporibus omnia illa denuo inflammari et ignescere: ita ut et animi et dii alii omnes interirent, Jupiter solus maneret, conversis in se omnibus. — Sic

bene hoc placitum explicat. Muretus Schol. in Senecam. Epist. 9. conf. Diogen. IX, 8, ibiq. interprett. Marcus Antonin. III, 3, ibiq. Gataker. Lipsius Physiolog. Stoicor. Sturz ad Empedocl. p. 274. — Huc facit locus Heraclidis Allegor. Homer. Cap. 25, quem optime emendavit Heynius in epistola ad editorem Schowium p. XIX. Haec eadem Orphicis placuerunt vid. Orph. ed. Gesneri p. 385, ubi Gesnerus Heracliti mentionem facit.

Primarius de Heraclíteo placito locus est Clementis Alexandrini Strom. V, p. 712., quem adscribam, quia et nonnullis mendis laborat et explicatione indiget.

Πυρὸς τροπαὶ, πρῶτον θάλασσα. θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ τὸ δὲ ἥμισυ πρηστήρ.

Δυνάμει γὰρ λέγει (Ἡράκλειτος) *ὅτι πῦρ* (recte Stephanus poes. philos. 132. colon sustulit ante *ὅτι*) *ὑπὸ τοῦ διοικοῦντος λόγου καὶ θεοῦ τὰ σύμπαντα* (leg. *ὑπὸ τοῦ διοικοῦντος τὰ σύμπαντα λογ. κ. θ.*) *δι᾽ ἀέρος τρέπεται εἰς ὑγρὸν, τὸ ὡς σπέρμα τῆς διακοσμήσεως ὃ καλεῖ θάλασσαν* (leg. deleto commate: *εἰς ὑγρὸν ὡς τὸ σπ. τ. διακοσμ. ὃ καλ. θαλ.*) *ἐκ δὲ τούτου αὖθις γίγνεται γῆ καὶ οὐρανὸς, καὶ τὰ ἐμπεριεχόμενα. Ὅπως δὲ πάλιν ἀναλαμβάνεται καὶ ἐκπυροῦται, σαφῶς διὰ τούτων δηλοῖ.*

Θάλασσα διαχέεται καὶ μετρέεται εἰς τὸν αὐτὸν λόγον ὁκοῖος πρῶτον ἦν, ἢ γενέσθαι γῆ.

Ὁμοίως καὶ περὶ τῶν ἄλλων στοιχείων τὰ αὐτά. Quid sit *πρηστὴρ* docet Aristotel. de mundo p. 121. 129. Kapp. cf. Theodoret. advers. Gentes p. 822 ed. Schulz, Nemes. de

natura hum. Cap. 2. — Quae sequuntur δυνάμει γὰρ λέγει non intellexit latinus interpres, neque intelligi poterunt, nisi teneas, quo sensu dicant philosophi illud δυνάμει. Quae res lucem accipit ex Aristotele Meteorolog. I. 3, ἀτμὶς μὲν δυνάμει οἷον ὕδωρ· ἀναθυμίασις δὲ δυνάμει οἷον πῦρ. Voce ἀναθυμιάσεως utitur et Stoicus Marcus imperator apud Julianum in Caesar. p. 29 lin. 15 ed. Heusinger; vid. Ibid. Spanhemii Not. ad h. l. p. 136 qui vir doctus plura monet in hanc rem facientia, vid. etiam quos ille laudat, in his Cuperum in Observatt. Lib. II. 3. p. m. 175. seqq. Sed totus Clementis locus legi debet, unde patet hanc esse ejus sententiam: Heraclito auctore in mari inesse suapte natura et terram, et igneum illum vaporem." — Ad ἀναθυμίασιν illam multa retulit Heraclitus vid. Diog. L. IX, 9. Plutarch. de plac. IV, 3. Antonin. IV, 46. — ἀναλαμβάνεται καὶ ἐκπυροῦται Plutarchus de plac. I, 3, et Stobaeus Eclog. p. 304, ed. Heeren haec ita efferunt καὶ πάντα τὰ σώματα ὑπὸ πυρὸς ἀναλοῦσθαι ἐν τῇ ἐκπυρώσει. Quod in Plutarcho mutandum esse censuerunt in ἀναλίσεσθαι Vigerus et Corsini. Perperam, cf. Beckii not. ad h. l. p. 138. Neque igitur erat cur nuper Tennemannus in libro qui inscribitur Geschichte der Philos. I, 217, Stobaeum similiter tentaret. Cautius Heerenius in vulgata acquievit. De illo verbo conf. Hemsterhusius ad Thom. Magist. p. 55. Pierson et Hudson ad Moer. p. 25, seqq. Valkenaer ad Euripid. Phoeniss. 591. — Ut ad Clementem redeam, verba extrema ὁμοίως — αὐτά Stephanus in poesi philos. verbis Heracliti

aggregavit. Male, sunt enim Clementis, quod docere unumquemque potest sola vox στοιχεῖα, quae hoc sensu adhibita non cadit in Heracliteam aetatem. Eam primus usurpavit Plato teste Phavorino ap. Laërtium III, 24. Haec hactenus.

Notum est illam rerum vicissitudinem sic declaratam esse ab Heraclito ut diceret: πάντα ποταμοῦ δίκην ῥεῖν. vid. Platon. Cratyl. p. 65, ed. Heindorf. Senecae Epistol. Lib. IX. cf. Mureti Scholia p. 55. (Tom. III. operum ed. Ruhnk.) Qua de re non est quod moneam post ea quae disputarunt Wyttenbachius ad Plutarch. de S. N. V. p. 76. seqq. Harlesius ad Fabric. B. Gr. II, 627. Heynius opuscul. academic. III, 103, et nuper admodum Sturzius ad Empedoclea p. 257. Unum tantum locum attingam itemque alterum, qui manum medicam exspectat.

Cic. de Nat. Deor. I, 39. „Tota res, Vellei, nugatoria est. Vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis. Tanta est impunitas garriendi. At quam licenter? Fluentium frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur." Depravatio manifesta est, correctio non item. Davisius, qui in sequentibus bene reposuit continenter conf. Lucretium IV, 228, non aeque felix in sanandis antecedentibus. Corrigendum censet: — impunitas garriendi atque licentia. Sed vulnus altius latet, quod intelligitur e lectione codicum qui tamen h. l. nihil quidquam prosunt. Lege: — garriendi. Aquarum instar fluentium continenter transitio fit visionum „ποταμοῦ δίκην" vel quod Aristotel. de Mundo ait

ποταμῶν δίκην IV, 25. Pluralis aquae bis legitur apud Ciceronem eodem libro II, 46. Fluminum similitudinem etiam in aliis declarandis captant et Christiani scriptores et ceteri philosophi, ut Joannes Chrysostomus, qui natalem Christi fontem dicit, ex quo reliqua Christianorum festa manarint *ὥστε ἐντεῦθεν, ὥσπερ ἀπό τινος πηγῆς, ποταμοὶ διάφοροι ῥυέντες, αὗται ἐτέχθησαν ἡμῖν ἑορταί.* vid. Chrysost. Homil. in Matthaei Lectt. Mosquensibus Vol. I. init., ut Plotinus III, 8, 9, quem locum tractavimus alias. Nunc alium attingamus leviter maculatum Enn. II, 1, 2, p. 97, ubi exponitur Heracliti opinio: etiam coelestia semper fluere et ipsum solem — *τῷ, Ἡρακλείτῳ, ὡς ἔφη* (leg. *ὅς*) *ἀεὶ καὶ τὸν ἥλιον γίνεσθαι.*

Aliam ejusdem philosophi itemque Hecataei sententiam de sole refert Stobaeus I. Cap. 26. De cujus lectione loci monebimus alias in notis ad Hecataei Geographica, ubi plura occurrunt conjuncta cum Heracliteis placitis.

Has *μεταβολὰς* sive vicissitudines etiam ad animam humanam traduxit Heraclitus. Quam in rem disputat et Plato de Legibus Lib. X., p. 957, ubi tum alia, tum hoc, *μεταβάλλει μὲν τοίνυν πάνθ' ὅσα μέτοχά ἐστι ψυχῆς κ. τ. λ.* In eandem mentem disputat Platonis sectator Plotinus Enn. IV. 8. 1, p. 468. Sola ea adscribam quae ad Heraclitum faciunt, praecipue cum ea corrupta habeantur. *Ὁ μὲν γὰρ Ἡράκλειτος ὃς ἡμῖν παρακελεύεται ζητεῖν τοῦτο, (ἀμοιβάς τε ἀναγκαίας τιθέμενος ἐκ τῶν ἐναντίων, ὁδόν τε ἄνω καὶ κάτω εἰπὼν, καὶ τὸ μεταβάλλον ἀναπαύεσθαι καὶ κάματον εἶναι τοῖς αὐτοῖς μοχθεῖν καὶ ἄρχεσθαι) εἰκάζειν ἔδωκεν, ἀμελήσας σαφῆ ἡμῖν ποιῆσαι τὸν λόγον·*

ως δέον ἴσως παρ' αὐτῷ ζητεῖν, ὥσπερ καὶ αὐτὸς ζητήσας εὗρεν. Sic equidem hunc locum distinguendum emendandumque duxi. Ad eum illustrandum vel maxime facit Stobaeus Eclog. I, 52, qui ita habet Ἡράκλειτος μὲν γὰρ ἀμοιβὰς ἀναγκαίας τίθεται ἐκ τῶν ἐναντίων, ὁδόν τε ἄνω καὶ κάτω τὰς ψυχὰς διαπορεύεσθαι ὑπείληφε, καὶ τὸ μὲν ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐπιμένειν κάματον εἶναι, τὸ δὲ μεταβάλλειν φέρειν ἀνάπαυσιν. Quem optime et emendavit et explicuit Heeren cf. ejus not. p. 896. Caeterum sicut in Stobaeo illud ὁδόν τε abierat in ὁδόντες, ita etiam peccatum in Hesychio Milesio: ὁδὲν ἄνω κάτω leg. ὁδὸν ἄνω κάτω cf. Junii nota p. 31. Quid Heraclito sit ὁδὸς ἄνω καὶ κάτω bene explicuerunt Gesnerus de animabus Heracliteis (Commentat. Soc. Scient. Gotting. Tom. I, pag. 77, 115.) et Heynius vid. ejus commentat. de animabus siccis ap. Heracl. Opuscul. acad. III, 106. — In Plotino correxi ἄγχεσθαι pro eo quod adhuc legebatur ἄρχεσθαι, quam mutationem verborum contextus poscit. Atticis etiam horumque imitatoribus frequentatur hujus vocis usus translatus, vid. Hemsterhus. ad Thom. Mag. p. IX et ad Lucian. Dialog. Mort. XXII, 1. Et in describenda conditione animae humanae corpori implicitae usurpantur cum alia vocabula a vinculis et suppliciis desumpta (ut μετενδεῖσθαι illigari etiam περιπλέκεσθαι latine amplecti (passive) dicitur anima eodem sensu. Petronius apud Priscianum: „Animam nostro amplexam in pectore" (περιπλεχθεῖσαν) cf. Petronii Fragmenta ed. Burmann p. 671, ubi tamen expressum est corpore; illam priorem vocem illustrat Gata-

ker ad Antonin. X, 28. adde Plutarchi fragmentum ad calc. libri de S. N. V. p. 147, et Wyttenbachii Not. p. 122, 126, seqq. Euxitheus Pythagoricus ap. Athen. IV, 157. ἐνδεδέσθαι τῷ σώματι τὰς — ψυχάς τιμωρίας χάριν), tum vero etiam ἄγχεσθαι. |Hermes apud Stobaeum Eclog. I, 768. — ἀλλὰ καταλείπεται (ὁ νοῦς) τὴν τῷ σώματι προσκειμένην (ψυχὴν) καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἀγχομένην κάτω. — quam vim vocabuli uberius explicat Perizonius ed. Aelian. V. H. V. 8. Ejus viri placita de potestate verbi ἀπάγχεσθαι notum est impugnata esse a Raphelio in Adnotationibus ad N. T. Polybianis p. 102, nec minus a Jacobo Gronovio in illa disceptatione de morte Judae. cf. etiam Fischeri Indic. ad. Theophrasti Char. s. v. ἀπάγχεσθαι. — Illud εἰκάζειν commode usurpavit Plotinus, quo obscuritatem Heracliteae, Empedocleae et Pythagoricae orationis tangeret. Proprie dicitur de conjectoribus et portentorum interpretibus vid. Valkenaer ad Herodot. I, 84. Deinde omnino opponitur certae scientiae. Qui usus vocabuli familiaris est Platoni ejusque imitatoribus, (vid. Ruhken. ad Tim. p. 95.) in quibus etiam Plotinus est.

Quod reliquum est, illam ὁδὸν ἄνω κάτω, quo Heraclitus rerum animaeque vicissitudines declarat, notat ille omnis sapientiae derisor Lucianus in vitarum auctione Cap. 14. Facit enim philosophum illa sua ita explicantem — καὶ ὅτι ἔμπεδον οὐδὲν, ἀλλάκως εἰς κυκεῶνα πάντα συνειλέονται i. e. et quod stabile nihil est ac firmum, sed cinno quasi quodam permixta et confusa feruntur. — Ridicule κυκεῶνα dicit cinnum.

Similiter Epicurus, qui philosophorum nemini parceret, risit Heraclitum cum eum diceret κυκητὴν vid. Laërt. X, 8. cf. IX, 6, ubi codex tamen Palatinus habet κοκκυστήν. Nec minus auctor epigrammatis Anthol. Tom. IV, p. 226, (quod supra exhibuimus, in cujus initio est illud: — τί με ὧ κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι) tangere voluisse videri potest illud ἄνω et κάτω quo rerum vicissitudinem explicabat philosophus.

EXCURSUS

DE CRATERE

LIBERI PATRIS SIDEREO

Nachricht an den Buchbinder. Dieses Blatt ist nach S. 16 einzuschalten.

EXCURSUS.

DE CRATERE LIBERI PATRIS SIDEREO ITEMQUE DE TABULA INDORUM MIRIFICA, MIRIFICOQUE LAPIDE IN CARMINIBUS ANTIQUIORIBUS GERMANORUM, AD COMMENTATIONIS PAG. 25—29, 40—42, 53 ET 63.

Harum rerum explicandarum locum dat **Porphyrius** de antr. **Nymphar.** Cap. XII—XIV. e quibus ejus quod medium est, insigniora adscribemus. Habent autem ita:

Τίνα οὖν ἡμῖν διάφορα σύμβολα, τὰ μὲν πρὸς τὰς ψυχὰς ἀναφερόμενα, τὰ δὲ πρὸς τὰς ἐν ὕδασι δυνάμεις· ἵνα κοινὸν ἀμφοτέραις καθιερῶσθαι τὸ ἄντρον ὑπολάβωμεν; σύμβολα δὴ ἔσω ὑδριάδων νυμφῶν, οἱ λίθινοι κρατῆρες καὶ οἱ ἀμφιφορεῖς. Διονύσου μὲν γὰρ σύμβολα ταῦτα *), *ἀλλ᾽ ὄντα κεράμεα, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐκ, γῆς ὠπτημένης· ταῦτα γὰρ φίλα τῷ παρὰ τοῦ*

*) Universe crateres scyphosque **Baccho** adtribui multa scriptorum testimonia arguunt. In quibus symbolis adjungendis haud parum variarunt veteres vid. ut hoc utar, **Pausan.** Lib. I. Cap. 20. Lib. VI. Cap. 24. Lib VII. Cap. 27. Lib. VIII. Cap. 31. Apud **Albricum** philosophum de deor. imaginibus Cap. XIX. p. 926, ed. Staver. idem ille sinistra manu tenet poculum. Quam in rem consulat, qui plura velit, Bonarotium (**Buonaroti**) **sopra un Camméo del Trionfo di Bacco** p. 438 seq.

θεοῦ δωρεᾷ τῆς ἀμπέλου· ἐπεὶ ἀπὸ πυρὸς οὐρανίου πεπαίνεται ταύτης ὁ καρπός.

Quibus adde haec e Capitis XIV initio: *Λίθινοι δὲ κρατῆρες καὶ ἀμφιφορεῖς ταῖς προεστώσαις τοῦ ἐκ πετρῶν ἐξιόντος ὕδατος νύμφαις οἰκειότατοι.* Sequitur explicatio symbolorum animas significantium in corpora descendentes.

Jam primum hujus loci auctoritate firmari potest quod p. 25 in nota disputavimus ad infringendam Winkelmanni conjecturam de loco Athenaei XIII. 55. Deinde, si Ephoro apud Strabonem VII. sect. 9. p. 371 ed. Tzschuckii fidem habemus *), hoc certe symbolorum Bacchicorum genus, quod fictilibus amphoris continetur, neutiquam pro antiquissimo habendum erit, quamquam ab alterâ parte ex his Porphyrii verbis intelligi quodammodo videtur posse, cur tot Bacchicae res reperiantur in figlinis vasis, quae Etruscorum vulgo nomine veniunt. Sed mittamus haec, ut persequamur quae ad consilium nostrum magis faciant.

Macrobius enim Expos. in Somn. Scipion. lib. I. cap. XII. illud ipsum argumentum tractans, dubitari nequit, quin Porphyrii locum supra laudatum ante oculus habuerit, „Anima ergo (ait) cum trahitur ad corpus, in hac prima sui productione sylvestrem tumultum, id est hylen influentem sibi incipit experiri. Et hoc est quod Plato notavit in Phaedone,

*) Qui figuli rotam serius inventam tradiderat. Ephori auctoritatem sequitur Posidonius ap. Senec. Epist. CX. Attigit hanc quaestionem de historia figlinorum operum apud Graecos Heynius Observv. ad. Homer. Iliad. XVIII. 600.

animam in corpus trahi nova ebrietate trepidantem, volens novum potum materialis alluvionis intelligi, quo delibuta et gravata deducitur. Arcani hujus indicium est et crater Liberi patris ille sidereus, in regione quae inter cancrum est et leonem locatus, ebrietatem illic primum descensuris animis evenire sylva influente significans."

Pluribus interjectis addit Macrobius: „Ipsum autem Liberum patrem Orphaici νοῦν ὑλικὸν suspicantur intelligi, qui ab illo individuo natus, in singulos ipse dividitur." Addit praeterea fabulam de Titaneo furore et μελοκοπίᾳ, gemina proferens illis, quae nos supra dedimus e recentioribus Platonicis. Teneamus autem rursus in his et potionem naturae effectricem et craterem memorari. Quod vero craterem Liberi patris in sidera relatum dicit Macrobius, ei rei lucem affundit Hyginus in poët. Astronom. XL. p. 492 seqq. coll. p. 541. seq. ed. Staver., ubi multae fabulae de cratere leguntur hydrae adjuncto, auctoribus Istro, Philarcho et Eratosthene. E quibus hic quidem hunc „cratera eum esse dicit, quo Icarius sit usus, cum hominibus ostenderet vinum". Consimilia illis Theon habet et Scholiastes alius ad Arati Phaenom. versus hos, 448 seq. de hydrâ:

> Μέσσῃ δὲ σπείρῃ Κρητήρ· πυμάτῃ δ' ἐπίκειται
> Εἴδωλον Κόρακος, σπείρην κόπτοντι ἐοικός.

ubi Theon p. 302 Buhl. et Scholiastes cum alia commenta de hydrâ referunt, tum insuper hoc: hydram a multis multas ob caussas pro Nilo Aegypti fluvio haberi. Quo in loco et Theuthi *) mentio fit, et de cratere hoc subjicitur: καὶ ὁ κρατὴρ δὲ οἰκεῖος τῇ γῇ ἢ ποταμῷ. Itaque et craterem sidereum rebus Aegyptiacis interpositum deprehendimus. Et reverâ in Isiaca quoque pompa, de quo nos p. 25. not. verbo monuimus, serpens hydriae s. ollae imposita conspiciebatur, ut alia taceam v. c. trecentas sexaginta hydrias, ad anni dierum numerum significandum quotannis effusas.

Aratea autem illa sic reddidit Cicero de Naturâ Deor. II. 44.

In medioque sinu fulgens Cratera relucet

*) Atque, hac data occasione, explebimus supra, p. 25 seqq., a nobis praetermissum: Namque Eratosthenis illius Cyrenaei, Alexandrinae bibliothecae praefecti, carmen quoddam erat hexametrum, in quod e Sphaera et Zonis, quod inscriberetur Ἑρμῆς, saepius laudatum a veteribus, ut ab Athenaeo V. 189. d. VII. 284. d. a Polluce VII. 90. Achille Tat. Isagog. in Arat. Phaen. p. 153 indeque in Anthologia graec. Tom. [illegible] p. 479 ed. Jacobs. (cujus nota consulenda est Vol. I. part. 2. p. 313, adde Schweighaeuserum ad Athen. l. l.) a Schol. Venet. ad Homeri Iliad. XVIII. 473 et multis aliis.

Quo poemate sive Eratosthenem dicas disciplinarum origines illustrasse, quae Heynii suspicio est in Opusc. acad. tom. I. p. 97 not., sive Sphaeram et Zonas, (quod Gerhardo Vossio de Scientiis mathematicis cap. XXXIII. sect. 3. p. m. 158 placere video cf. Joseph. Scaliger ad Manil. Astron. p. 320) utrobique hoc certe efficitur, in quo nostrae disputationis summa continetur, ab antiquo homine eodemque antiquitatis omnis Aegyptiacaeque in primis simulque rerum astrologicarum intelligentissimo illâ ipsâ ejus carminis inscriptione rerum astrologicarum primarias partes et fortasse ipsa primordia Hermeti Aegyptiorum heroi haud ambigue delata fuisse. — Caeterum ad nomina Aegyptiaca ex Hermetis aliusque dei vel herois nomine composita addendum est Hermammon, quod nomen legitur in historia Eusebii Lib. VII. Cap. 9. cf. Henr. Valesii not. ad Ammian. Marcellin. Lib. XIX. Cap. 12.

Extremam nitens plumata corpore Corvus
Rostro tundit: — —

Quod h. l. Buhlius Vol. II. p. 222. ed. Arat. a Cicerone citari dicit: extremam, recte ille quidem ad majorem partem librorum cum manu scriptorum, tum impressorum, nam et mei codices universi eodem plane modo. Davisius. tamen, Ursini librum secutus, extremum tuetur, quod et ipse in textum intulit et Olivetus. Quam auctoritatem in suam rem adhibere neglexit parum diligens in his rebus Buhlius.

Huc quoque referendi sunt Manilii loci bini, quorum prior est Astronom. Lib. I. p. 13. 23. ed. Scaligeri:

Et Phoebo sacer Ales et una gratus Jaccho
Crater

sicut e cod. Gemblac. emendavit Joseph. Scaliger pag. 57. Adde alterum Manilii locum Lib. V. p. 116:

Ultima pars magni quum tollitur orbe Leonis,
Crater auratis surgit caelatus ab astris.
Inde trahit quicunque genus, moresque, sequetur
Inriguos ruris campos, amneisque, lacusque:
Et te, Bacche, tuas nubentem junget ad ulmos,
Disponetque jugis imitatas fronde choreas,
Robore vel proprio fidentem in brachia ducet,
Teque tibi credet semper, quin matri rejectum
Adjunget calamis, segetemque interferet uvis:
Quaeque alia innumeri cultus est forma per orbem,
Pro regione colet; nec parce vina recepta

Hauriet emiscens (vid. Scaligeri Not.) et fructibus ipse fruetur,
Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.
Nec solum terrae spem credet in annua vota:
Annonae quoque vectigal mercesque sequetur
Praecipue quas humor alit, nec deserit unda.
Tales effinget Crater humoris amator.

De cratere humoris amatore, non est, quod h. l. repetamus, quae supra ex Athenaeo in medium protulimus.

Quod autem ante conjeci de speculo et cratere Liberi patris ab ultima India usque ad Graecos traducto, firmatur ea suspicio fabulâ quadam Indicâ apud Paullinum a S. Bartholom. in System. Brahman. p. 103. quae sic habet: In sacro illo Deorum monte Mahameru (Mero) domicilium constituisse Deum Ischwaram (qui alibi et Schiwa et Devanishi, quod nomen ad Διόνυσον proxime accedere Paullino videtur (vid. p. 133) cum tabulâ gemmis variegatâ, in quâ mediâ lotus, innato triangulo, unde omnia gignantur, quaecumque haec rerum natura contineat. Habes rursus divinam illam mensam, foecundam, affluentissimam rebus omnibus eique Deo adpositam, quem, ob insitam vim genetricem, Patrem dici vidimus, quique idem ab Hermiâ Commentar. Mscr. in Platonis Phaedr. (laudato a Goensio ad Porphyr. l. l. pag. 101) τῆς παλιγγενεσίας παντὸς τοῦ αἰσθητοῦ nominatur praeses.

Ac sicut ea fama de tabulâ et speculo mirifico, ex oriente ad Graecos traducta est, ita eadem ex iisdem veteris Indiae religionibus ad majores nostros videtur permanasse. Rei vestigia servarunt horum carmina, praecipue epicum illud, quod, quia in Parcivalii herois rebus versatur, et ipsum Parcivalii nomine venit. Quam rem monstravit mihi Goerresius noster, qui nuper, ingeniosius, incertum, an doctius, de libris Germanorum popularibus commentatus est. Illius autem poematis auctor multus est in praedicandis virtutibus mirifici illius lapidis, qui Grali nomine celebratur, (vid. Muelleri Corpus poëm. vernacul. priscor. Tom. I. p. 55 seqq., p. 113 seqq.) versibus luculentis. E quibus haec paucula adscribam, quae magnopere congruunt mensae illius Indicae, nec minus Persarum crateris speculique Bacchici miraculis. Ita enim poëta vers. 7083. seqq.

Daz er al bereite vand.
Spise warem spise chalt.
Spise neue und dar zuo alt.
Daz zam und das wilde. —

Paucis interjectis pergit poëta:

Moraz win sinopel rot.
Swa nach den napf jeglicher bot.
Swaz er trinkens chunde nennen.
Daz moht er drinne erchennen.
Allez von def graff chraft.

Diu werde gesellescaft.
Heten wirtscaft vome gral.

Et vers. 1471 seqq.

Davon der Stein empfachet.
Swaz guotes uf erden drachet.
Von trinchen und von spise.
Als den wnsch von pardise.
Ich meine swaz diu erde mach gebern.
Der stein si furbaz mer sol wern.
Swaz wildes underm lufte lebt.
Ez fliege oder louffe und daz swebt.

Quam famam probabiliter conjicias per sacras illas expeditiones in has occidentis partes translatam fuisse. Verum, utcunque sese haec res habeat, illud nequit dubitari, quin in hac de vase mundano sententia mirifice congruat et aetatum populorumque et ingeniorum varietas omnis.

COMMENTATIO ALTERA

IN QUA

VASORUM NILIACORUM IN NUMO

ITEMQUE

CANOBI, PATAECORUM, CABIRORUM

DIOSCURORUMQUE

PRISCA SPECIES RATIOQUE MONSTRATUR.

Quod apud Plutarchum *) est de philosophorum disputationibus, id ipsum in hanc nostram scriptionem usquequaque cadit. Ita enim ille: „Poculo quidem accepto licet bibere quantum velis, reliquum omittere. At in disputatione maxime tenendum memoria est illud dictum, quorum principia non sunt necessaria, eorum fines necessarios esse." Quapropter, quod idem ille philosophos facere jubet, ebibamus totum, cum semel libaverimus. Malo tamen equidem cum poëtâ facere apud Athenaeum **) ejusque adhibere illud, et ipsum desumtum a poculis, quod qudiem nihil necessitatis habeat, jucunditatis vero plurimum. Sicut enim ille prae se fert suum istud κυλικηγορήσων ἔρχομαι; ita et mihi liceat iterum κυλικηγορεῖν hactenus, ut non tam super poculis loquar, quam de vasis quibusdam, de quibus, quae nuper disputavi, ea bene mecum sentio ne affecta quidem a me esse, nedum confecta. Restant enim plura adhuc examinanda, praesertim de eo vasorum genere, quod quia coelum terramque repraesentaret mundanum diximus. Quae res ducenda est e Serapidis Bacchique inferi religionibus, conjunctis cum priscâ quâdam classe deorum, quos a communi specie vasarios sive ollares appellamus,

*) Adversus Colotem pag. 541. Wyttenb.

**) Pratina vid. Lib. XI, 5. p. 192 Schweigh.

quorumque rationem haud parum obscuratam in clariore luce collocare studebimus.

Cujus consilii summa cum ab Aegyptiorum potissimum monumentis pendeat, percommode nuper sese obtulit mihi numus Alexandrinus Aegypti, aeneus, cum graeca epigraphe, Othonis imperatoris, non multo ante, uti videtur, quam ad me perveniret, in his terris repertus; in quo ipso vasa sacra Aegyptiaca conspiciuntur.

Servantur enim impressa huic nostrae orae multa vestigia Romanorum, qui ex quo Germaniam istam armis tenere coepissent, hic locorum non mansiones tantum, verum etiam stativa haberent hibernaque; unde deinceps oppida effloruerunt, cum alia, tum quod finitimum nobis est, Lupodunum. Et patuit his nostris finibus agrorum Decumatium circuitus, quorum mentionem facit Tacitus in Germaniâ *). Inde proficiscenti per agrum nostrum obvia haud pauca rudera vallorum, moenium, balneorum, aliarumque rerum, quae antiquitatis studiosos advertere solent. Marmora quoque haud raro eruta, quae inscripta Romanorum rebus illustrandis inservirent. Numorum denique uberior proventus cum aeneorum tum argenteorum aureorumque; illorum quidem cujuslibet moduli, qui a rusticis per arandi opportunitatem eruti harum rerum curiosis plerumque venduntur.

*) Cap 29. adde Gerberti Abbatis iter Alemannicum p. 311: „Qui fluvius (Nicer) Alemanniae Romanae finitor dici potest propemodum, seu etiam agrorum Decumatium, quorum Tacitus meminit, quamvis non flumine aliquo praecise, sed vallo terminarentur, cujus adhuc alicubi, praesertim in Wurtembergia vestigia apparent. Ibid. p. 314: „Urbes etiam, quarum adhuc superest memoria, Romano vallo conclusae, agrisque Decumatibus, huc quadrant, veluti Lupodunum rel.“

Studiosius tamen talia collecta inde a renatis literis per homines eruditos, qui adjuti munificentiâ hujus terrae Principum hanc suam patriam illarum luce collustrarunt. Quorum egregiam cohortem ducit Laurentius ille Begerus qui, jubente Carolo Ludovico, doctae antiquitatis reliquias reposuit in museo Palatino, cui ipse cum summâ laude praefuit. Atque illius principis nemo e posteris felicior imitator exstitit Carolo illo Theodoro, cum in aliis rebus, quibus literae augentur, tum in monumentis antiquis et coëmendis et asservandis. Cujus quae cetera in bonas artes merita exstiterint longum est commemorare. Solam Academiam Palatinam dicimus, quae, ipso moderante, Mannhemii, urbe nobis finitimâ, effloruit. Qua societate instituendâ salubriter cavit liberalissimi Principis prudentia et ne quid earum reliquiarum indoctorum incuriâ pessumdaretur, et uti, quod servatum esset, proferretur in lucem, descriptum iconibus eruditorumque hominum opera explicatum. Itaque et huic artium generi in his terris ab omni memoriâ felix exstitit Carolorum nomen, quandoquidem nuper etiam qui nunc iisdem praeest Carolum Fridericum Badensis agri monumentis operam impendere vidimus. Neque unquam Principibus nostris defuerunt homines eruditi, qui huc intenderent et mentis aciem et ubertatem doctrinae. Begerum supra diximus. Quem exceperunt multorum studia hominum ad nostram usque memoriam, quorum enumeratio abhorret ab hujus scripti angustiis *). Quorum

*) E libris consulendi, praeter ceteros, hi: Begeri Thesaurus numismatum et gemmarum ex Thesauro Palatino selectus. Heidelb. 68; fol. Schoepflini Alsatia illustrata Tom. I. p. 136. Cullmanni spicilegium monumentorum Romano-Palatinorum. Heidelb 764. 4 praecipue Historia et commentationes Academiae Electoralis

numero habendus est ipse Ezechiel ille Spanhemius, Freherus, Schoepflinus, Haeffelinus, Andreas Lameius alii. Quorum is, quem postremo loco dixi cum alia feliciter expediit, tum monumenta Romanorum sepulcralia inscriptosque titulos.

Sed qui de his viris uberius edoceri velit, adeat eorum libros, qui de ipsis commentati sunt, praecipue Wundtiorum; quâ gente nulla unquam id egit impensius, ut patriarum literarum apud posteros memoria exstaret. Ex ea gente unum nuper admodum ereptum rebus nostris dolemus immaturâ morte, si viri merita spectamus et consilia optima. Etenim hic ipse Fridericus Petrus Wundtius huic nostrae et urbi profuit et academiae, in qua is cathedram obtinuit historiae patriae, conscribendis libris, quibus utriusque insigniora explicarentur. Vixit praeterea ille commendatus bonis omnibus, cum eâ, quam diximus doctrinâ, tum liberalittae morum singulari. Ejus viri cum jam praefandi Manes sint, liceat hoc facere antiquo more, et, quando suprà a nobis sepulcrorum Romanorum injecta mentio est, inclamare illud, quod in pie defunctorum memoriis frequentabant Romani: Have Sancta Anima!

Sed revocanda oratio eo est, unde devertit. Videndum enim est de numis, quorum largam segetem protulit haec ipsa patria

scientiar. et elegant. literar. Theodoro Palatinae: passim, in primis Tom. I, p 205 — 15, Tom. II, p. 107 seqq. Tom, III, p. 25, 185, 214 rel. conf. Friderici Petri Wundtii, nuper nostri, cum alia scripta tum id quod inscribitur: allgemeine Pfälzische Bibliothek partic. II, p. 70 seqq. et insuper alterum, cui titulus: Geschichte und Beschreibung der Stadt Heidelberg pag. 5 seqq. collatis Addendis ad eundem librum p. 439.

jam nobis et harum quoque rerum ferax terra*). Quid? in his ne Othones quidem desiderantur aenei **) in quibus is ipse numeratur, qui penes me est. Quod cum dico, me delapsum video in spatiosissimum campum disputationis, in quo evagari quaquaversus liceat, si lubeat ambiguis adhaerescere et sexcenties decantata ad nauseam usque repetere. Ejusmodi deliciis qui teneatur, is adeat libros, quos in notâ ***) subjecimus, super

*) Cum aliunde tum Succingae in hortis, ubi Romanorum militum ossa ab opus facientibus effossa sunt, nec minus in agro finitimo; e quibus numis unum commemorabo, qui in adversa eum deum refert, cujus res a nobis superiore commentatione frequentatae sunt. Inest enim Mercurius, vel certe Antinous ad Mercurii speciem, sicuti ista aetas ferebat, effictus, equum (Pegasum) tenens manibus, igiturque referendus ad Hadrianum. Epigraphe graeca et plane eadem, quam exhibuit illustravitque Eckhelius D. N. V. VI, p. 532, col. II, init.

**) Quorum binos nunc cum maxime in manibus tracto, quos ad hunc usum mihi transmisit vir elegantis judicii mihique amicissimus Battius. Eorum utervis maximi moduli est in adversâ parte exhibens caput Othonis cum epigraphe: Imp. Otho. Caesar. Aug. Trib Potest. uterque item in aversâ: Securitas P. R. et S C. hoc solo discrimine, quod alter Victoriam habeat, quantum quidem etiamnum assequi licet, alter aram, supra quam Imperator cum duce militum signa militaria ferentium dextram jungit. Insuper in catalogo numismatum, quae Hanoviae venalia prostant, quem mecum communicavit conjunctissimus mihi collega Daubius, inter aeneos numos Othonem commemoratum legi, nullâ addita notatione, praeter hoc unum rarissimus. Imperatorum titulos docte illustrarit Christ. Gottl. Schwarzius ad Plinii Paneg. pag. 18, 27, 259. De Tribuniciâ Potestate in hoc numorum genere optime monuit Heynius, vir summus, in commentatione proxime citandâ pag. 18 seq.

***) vid. Chiffletius de Othonibus aereis Antverp. 1614. (etiam in Sallengrii novo thesaur. Rom. antiq. Tom. I.) Chiffletii literae ad

hac re palearum plenissimâ cum magna eruditionis sive laude sive specie conscriptos. Jam vero, ut propius accedam, quo dudum festinat animus, penitius inspiciendus est numus meus. Eum hoc loco reponendum *) censui aeneae laminae ope expressum, quo cuilibet judicandi potestas fieret.



1



2

Videmus numum, sicuti est, ita exhibitum, medii moduli. In adversâ conspicitur caput Othonis imperatoris, sine lauro, quod primam teneri a lectoribus velim. Neque mi-

Patinum (in Patini numism. Impp. ex aere p. 130.) Morellii, Schlegelii al. commentationes in XII Imperatt. prior numism. Amstel 1752 fol. ibiq. Christ. Schlegelii comment. Tom. II, p. 783. J. C. Schlaeger in praefatione ad Numophylacium Burkhardianum. Denique Heynii, commentatio de binis numis Musei Bentinckiani; in commentatt. soc. scientt. Gottingens. Tom. IV. class. philol. p. 113 seqq. Omitto eos, qui cum universe de numis agerent, etiam de [illegible] genere monuerunt. Qui plura velit, adeat, praeter modo laudatam Heynianam comment. J. Frid. Christii Abhandlungen über die Literatur und Kunstw. des Alterthums p. 162 seqq. et Martini Vorles. über die liter. Archaeologie p. 292 seq.

*) Quod spatii supererat datum est iconi vasis Persici Konri, de quo supra diximus commentat. I, p. 27. Hujus rei ratio cum universo nostro consilio continetur.

nus spectandus est capillus, certa lege compositus, citra morem, quem in aliorum imperatorum imaginibus deprehendimus. Cogitandum enim est de capillo adscititio, cujus usum ea aetas frequentare coepisset. Hoc ipso calvitiem dissimulabat Otho, narrante Suetonio in ejus vita *), qui eum „munditiarum paene muliebrium dicit, vulso corpore, galericulo propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dignosceret" **). Illius imperatoris nomen prae se fert epigraphe, quae plenius explicata ita habet: ΜΑΡΚΟΥ ΣΑΛΟΥΙΟΥ ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, de qua proxime pluribus dicetur.

Jam enim videndum est de aversâ. In qua nunc quidem solas spectamus literas, quae in extremo margine leguntur: L. A. Arguunt eae, quod constat inter rei numariae peritos, et urbem Aegypti Alexandriam et unicum imperii annum. Nemo enim nescit arripuisse eum imperium medio mense Januario U.

*) Cap 12, p. 192. ed. Wolf. cf. Herodian IV, 7, ubi similia de Caracallâ, quem locum commode adhibuit vir doctus in memoires de la soc. d. Antiq. de Cassel p. 327. De usu utiliter monuit Böttigerus in Sabina I, p 307 Unde nolim Fridericum Müllerum, pictorem eundemque poëtam egregium, sibi excidere passum esse ea, quae de Othonis capillo promisso leguntur in libello optimae notae, qui inscribitur Schreiben von Frid. Muller über eine Reise aus Liefland nach Neapel und Rom etc. Mannheim, 1807. p. 25 not.

**) Caput imberbe, juvenile sicut Othonis noster numus, ita Constantini magni exhibet hujus imperatoris numus argenteus Treviris repertus, quem docte, ut assolet, explicuit L. Völkel in libello, cui titulus: Beschreibung einer seltnen Silbermünze von Constantin dem Gr. im Fürstl. HessenCasselischen Cabinet. Göttingen 1801, quem vide.

C. 823, A. C. 70: amisisse simul cum vitâ ejusdem anni medio Aprili. Neque vero quisquam eruditior ignorat quantas turbas dederit quotque lites commoverit prioris literae insolentior character. Nam, ut taceam super eâ literâ conscriptum peculiarem librum in scriniis reliquisse Nic. Toinardum, tot alios suspensos tenuit haec litera, ut multum operae insumendum sit ei, qui Josephi Scaligeri, Jani Gruteri, Marshami, Petavii, Isaaci Casauboni (ad Sueton. August. 87, p. 456 Wolf.) Ezech. Spanhemii aliorum diversas sententias excutere instituat *). Itaque praetermissis ceteris, hoc unum teneri volo, quod faciat ad nostras rationes spectetque ad hoc ipsum consilium. Nimirum nequit dubitari, quin antiquiores Graeci alphabeti characteres propius accesserint ad Latini similitudinem. Ita factum est, ut et litera L a Graecis prorsus eodem modo scriberetur, quo a Latinis. Quod et numi docent antiqui et antiqua marmora **). Atque ita assiduis doctorum hominum disceptationibus hoc acceptum referimus, ut jam pro certo possit pronuntiari, illud L. A. nihil aliud significare, quam ΛΥΚΑΒΑΝΤΑ ΠΡΩΤΟΝ, h. e. annum primum.

Jam haec, quae adhuc disserui, sufficientia possint videri, ut jam progrediamur ad locum de vasis, qui rem nostram causamque continet. At vero, cum usus sic ferre videatur, ut is,

*) Quas succincte refert Schlaegerus de numo plumbeo Hadriani p. 177. ubi etiam nonnulla disputantur de antiqua voce λυκαβας, quam in annis numerandis usurpabant nonnunquam veteres.

**) Vid. Mazocchii commentarium in tabb. aen. Heracl. p. 121 et eum qui hac de re doctissime praecepit Villoisonum in anecdotia graec. tom. II, p. 168, ibiq. laudat. Chandleri inscriptt. antiqq. p. 40, num 2.

qui primus numum aliquem in lucem proferat, ejusdem vel laudator existat vel certe pro viribus suscipiat patrocinium: haud alienum judico a me paucula saltem subjici, quae ad judicandam γνησιότητα faciant. Atque ea res pertinet ad communem locum de Othonibus aeneis, quem nos supra vitavimus potius, quam attigimus. Neque nunc vacat hunc lapidem volvere. Potiora referam, quae in ea re in censum veniunt. Ac primum notum est decretum istud Chiffletii: nullum omnino exstare Othonem aereum, qui vere antiquus sit. Quam tamen ipse sententiam postea retractavit; eoque deducta ea res est, ut judicarent docti, posse numos id genus ditionum orientalium cum epigraphe Graeca, nisi aliae caussae morarentur, fidem promereri: de aliis cum epigraphe Romanâ plurimum subesse dubitationis, ita tamen, ut ne hi quidem continuo rejiciendi essent. Quod tenendum hoc magis est, quo verius Eckhelius in universum hac de re pronuntiasse putandus est:*) „Ego hercle ejus (numi aenei Othonis commatis Ro-

*) D. N. V. VI, p. 305. Prior Eckhelio in eandem fere sententiam pedibus iit Heynius commentr. supr laudat. p. 121. Caeterum ejus raritatis multas rationes excogitarunt ii, qui conjecturis indulgere, quam ingenue fateri, se eam nescire, mallent. Hoc certum, rem ipsam deprehensam mature ab iis esse, qui continuâ serie Imperatorum Romanorum ordinem in numis constitutam vellent. Unde magna praemia proposita iis, qui Othonem aeneum suppeditassent a Ferdinando III, a Christinâ reginâ, ab aliis, qui musea conderent. Itaque incensa studia impostorum, fatali operâ nunc adulteratos ex hoc genere numos offerentium, nunc adulterinos, quod hodieque factitare dicuntur qui in Italiâ peregrinis monumenta antiquitatis monstrant. Totius rei caussas breviter sed optime explicuit Eckhelius D. N V. VI, p. 302 seqq. E Golzianis numis, quorum fides sublesta, unum cum epigraphe: Fe-

mani) reperiundi fortunam non magnopere appeto; nam praejudicatis adversus aeneos Othonis numos omnium animis, etsi oblatus ejus generis numus omnia praeferret γνησιότητος argumenta, tamen satis scio exstituros, qui, ut ajunt, nodum in scirpo quaerent, numumque vel per levissimas, aut arcessitas causas, quas in cujusvis alterius imperatoris numo aut non viderent, aut excusarent, inauditum condemnabunt." Quod si quaeris, cur orientales Othonis numi aerei cum graecis literis majorem fidem mereri dicantur, hujus rei ratio inest in ejus imperatoris eventis. Refert enim Tacitus Historiar. I, 76. „Longinquae provinciae et quidquid armorum mari dirimitur penes Othonem manebant. — Judaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus Othonis sacramento adegere. Simul Aegyptus omnesque versae in orientem provinciae nomine ejus tenebantur." Unde intelligitur etiam illud, qui factum sit, ut quae nunc habentur graecae inscriptionis numismata Othonis maximam partem ad Aegyptum pertineant, inprimis Alexandriam.

Jam quae adhuc commemoravimus ea omnia ejusmodi sunt, ut pro numo nostro haud parum pugnent. Nam et graeca est epigraphe, et habet numus singula monetae Alexandrinae vestigia. Possint item pro ejus numi caussâ argumenta repeti e loco, unde est erutus. Inventum enim haud ita pridem esse ab homine rustico, probabile reddunt numi alii, qui passim eruti haud raro hic terrarum venales pendent. Ex quo colligas, amissum in castris a Romano milite in terrae visceribus per plurima secula delituisse.

licitas Orbis commemorat Heynius opuscul. acad. III, p. 329. not.

At contra insurget Sestinius V. C. qui nuper admodum ejus rei judicandae hanc legem scripsit *), ut quicunque Othones in graecis characteribus pro dimidiato vocabulo MAPK solam literam M referrent, eos omnes damnandos censeret. Audio. Sed ita damnandus quoque sit numus Bentinkianus, qui nec minus illud nudum M habet **). Quam rem non praetermisit doctissimus Zoëga, neque tamen eadem ita eum commovit, ut hac sola causa ductus numi γνησιότητα in dubium vocaret: attendi ad eam voluit, tanquam ad rem singularem atque memorabilem ***). At vero aliae res infringere videntur nostri numi auctoritatem. Nam primum illud obest, quod idem addit nomen gentilitium ΣΑΛ, ita quidem, ut postremae literae character prorsus discrepet ab eodem charactere, qui in aversâ conspicitur et sic habet: L; et vero in numis equidem illius ΣΑΛ omnino desidero exempla alia. Deinde capillus discrepat ab aliis numis monetae orientalis, qui capillum Othonis promissum exhibent. Cujus rei causam docte explicuit Eckhelius VI, p. 302, ita docens: „Provinciae remotae mox audito, ad imperium evectum Othonem, nondum cognito sibi ejus vultu et lineamentis, finxere caput, quale esse videbatur; serius etsi illis probe cognitis a feriunda Othonis nomine monetâ abstinuere, incerto primum

*) Lettere e Dissertazioni numismatiche — del Museo Regio di Berlino. Tom. VIII, p. 13 seq. Othones alios cum graeca epigraphe exhibet ejusdem viri docti Catalogus Musei Arigoniani pag. 104.

**) Vid. tabulam adjectam Heynianae commentationi ad pag. 105.

***) Vid. Ejus librum, cui titulus: Numi Aegyptii imperatorii Romae, 1787. conf. Heerenii et Tychsenii Bibliothek d. alt. L. u. K. VI, p. 130.

orbe de belli civilis exitu, deinde sublatâ per ejus necem caussâ." Haec ille. Accedit denique ars rudior, quam pro Alexandrinâ monetâ, quae res mihi primum intuenti suspicionem injecit. Quod utcunque decernatur, parum mea refert. Neque enim mea mihi ita placent, ut nihil inde detrahi a quoquam patiar, neque id ago, ut vendendi lucellum aucupans mangonio more jactem quod casus obtulit. Elegi potius eum numum hydriarum caussâ, quarum, ut iste spurius habendus sit, tamen in genuinis Aegyptiorum tum aliis monumentis tum etiam numis haud ambigua vestigia exstant.

Vasa autem conspicimus bina utrinque posita ambo ventriosa, superne vero in os angustum coacta. Quae species usquequaque cadit in figuram vasis Alexandrini, cui *βαυκαλίς* nomen est: Athenaeus L. XI, c. 28 init. conf. Alexandr. Aphrodisiens. Problem. I, 94, ubi diminutive dicitur *βαυκάλιον*, quod nominis ei inditum sit a sono, quem ederet cum aqua repleretur. Unde recte colligitur, quod et aliunde patet, angusti oris fuisse, in eo quidem simile alii vasi Alexandrino, quod *βῆσσα* dicebatur, referente eodem Deipnosophista XI, 2-. Cui usui inserviverit *βαύκαλις*, prae ceteris discimus e Nicarchi epigrammate in Anthologiâ graecâ III, p. 66. Jacobs.

Ἠγόρασας χαλκοῦν μιλιάριον Ἡλιόδωρε,
τοῦ περὶ τὴν Θρᾴκην ψυχρότερον Βορέου,
μὴ κάμνε, μὴ φύσα. τί μάτην τὸν καπνὸν ἐγείρεις;
εἰς τὸ θέρος χαλκῆν βαύκαλιν ἠγόρασας.

Quae satis docent, opposita haec duo vasa inter se ita fuisse, ut *βαυκαλίς* contrarium usum praestaret ei, quem praestaret alterum vasis genus, quod *ἰπνολέβης* sive *ἰπνολεβήτιον* dicebatur,

(nomine improbato ab iis, qui puro sermoni caverent, Athen. III, 54. ibiq. Casaubon.,) postea vero *μιλιάριον* miliarium. Videamus de utroque. Atque hoc quidem, quod secundo loco posui, aqua calefiebat vid. Jacobsium ad h. l. p. 43 et quem is laudat Bayffium de vasculis *) in Thes. Gronov. antiqq. Graec. IX, p. 691. Contra baucalin ferunt inservivisse refrigerando vino, indeque appellatum gillonem sive potius gelonem, igiturque similem fuisse *τῷ ψυκτῆρι* **). Quodquidem ut in me-

*) Adde Casaubonum ad Theophrasti Charact. IX. Commentarus est Bayffius in quaedam loca tituli Digestorum, qui est de auro, argento, mundo rel. legat. Atque ibi in l. Cum aurum §. 12. miliarium argenteum memoratur. Ad eum locum Cujacius observatt. II, 6 recte infringit pravam opinionem eorum, qui a coquendo milio hoc nomen ei vasi inditum dixissent, in rem advocans Athenaei locum a nobis modo laudatum. Solebant enim calidam potare veteres, Seneca de irâ I, 12. II, 25. Quocirca in cocinatorio instrumento ab Ulpiano habitum. In balneatorio tamen numeraverat Paulus Lib. III, sentent. tit 9., quod in miliario aqua ad lavandum calefieret. Vid Cujac. l. l. Hinc etiam explicandum idem docuit ahenum esse in l. Si venditor § 2. Miliarii quoque mentio in Senecâ natur. quaest III, 24. IV, 9. In Glossis explicatur *θέρμητρον*. Caeterum quod aenaum dicitur Nicarcho poëtae miliarium, cum argenteum tradatur in l. Digestorum modo laudatâ, Romanae luxuriei in eo inesse magnum argumentum nemo non intelligit. Anthologiae locum non praetermisit Bayffius.

**) De eo locus classicus est in Platonis Symposio XXXI, 1. quem laudat Athenaeus IV, p. 180. cf. Athen. XI, p. 502 et Schweighäuserum ad h. l. tom. VI, p. 303. Timaei Lex. Platon. p, 275 ibiq. Ruhnken Schol. Platon p. 50, ubi Euripides laudatur in Telepho. Schleiermacherus magis loci Platonici indolem, quam grammaticorum, qui de poculo cogitarant, auctoritatem secutus, in pro-

dio relinquimus, ita hoc velimus teneri, adhibitam esse ab Aegyptiis aquae Niloticae percolandae. Galenus de simplic. medic. facultat. lib. I, cap. 4. Ἐστι δὲ δήπȣ καὶ τὸ ἰλυῶδες ὕδωρ σύνθετον πως, ὡς καὶ τὸ τȣ̃ Νείλȣ, τὸ κατ᾽ Αἴγυπτον, ἀλλὰ διὰ τῶν κεραμέων ἀγγείων ἠθȣ́μενον. Eadem Suidas habet s. Κάνωπος loco infra a nobis rursus tractando. Eum Eclogis physicis suis inseruit doctissimus Schneider, commode explicans harum hydriarum rationem in animadverss. p. 98, ex narratione Lasterii Francogalli, qui figlina esse docet haec vasa, ita cocta, ut aquam per tenuia foramina facile transmittant; usum autem hodieque obtinere per Chinae imperium, per Syriam, Persiam, Aegyptum adeoque per Hispanias *) quo ea a Mauris translata fuerint. Atque, ut in Aegypto subsistamus, illic terrarum etiamnum reperiri argillam, unde id vasorum genus effingatur, testantur itinerum narrationes, quarum copiam congessit Jablonskius cum in Pantheo III, p. 152 tum in addendis ad hoc opus, opuscull. tom. II, p. 341 ed. Te Water. Nonnunquam tamen, ut hoc unum addam, aqua Niliaca, sicubi percolanda esset, aliquanto uberius emissa videtur esse per canales, quibus eae hydriae cinctae tenerentur. Quod ut ita statuam, et Suidas facit quodammodo, et vero magis etiam ejusmodi vasis effigies, quam exhibet gemma apud Begerum in Thesauro Brandenburgico III, p 608, ubi circuli conspiciuntur, per quos plenius etiam aqua elicitur. Atque inde mihi explicandus videtur Sopatri poëtae locus apud Athenaeum XI, 28, b **).

pria vi vocis acquievit vid. ejus interpr. vernac. II, 2, p. 517 seq. Recte.

*) Ubi cantaros appellantur, graeco, si originem spectes, vocabulo.

**) Idem ibidem alterum exhibet ejusdem poëtae locum, quo is dixerat καταβαυκαλίσαι, verbo efficto ex illius vasis nomine, fortasse ad imitan-

βαυκαλὶς ἡ τετράκυκλος.

Quod ita accepit Schweighäuserus p. 63 „ut sint laminae metallicae quibus vasa testacea majoris firmitatis caussâ cingerentur". Equidem malim de canalibus cogitare ista vasa ambientibus, quibus aqua eo modo emitteretur, quo in effigie illâ videmus fieri. Indeque dicta fuisse *σταχτικά* haec eadem vasa crediderim, quod Hesychius s. v. perhibet, quasi stillantia, a *στάζειν*. Jam si quaerimus, qui fiat, ut aqua Nili ad potionis usum percolata dicatur: in vulgus constat, commendatam quidem fuisse antiquitus ejus fluvii aquam a salubritate, sed eandem adeo limosam atque turbidam esse, ut, nisi ante percoletur, multos variosque morbos efficiat. Eâdemque plebem Alexandrinam contentam fuisse necessario, quod fons urbe totâ nullus fuerit. Quae ex parte sunt ipsa verba auctoris de bello Alexaudrtno capite 5.

dum sonum, quem redderet *βαυκάλιον* quum aquâ repleretur, uti bene suspicatur novissimus interpres. Videtur autem, ut comica ejus loci vis penitus percipiatur, inprimis attendendum esse ad illud *ὄρθρῳ*. Jubet enim parodus mane mel catabeucalizare his, qui ex crapulâ siti tenerentur. Jam si cogites, *καταβαυκαλήσεις* esse cantilenas nutricum (Casaubon. ad Theophrast. Char. VII, 5) et *καταβαυκαλᾶν* proprie dici eos, qui vesperi somniculosos sopiunt, (Moeris Pierson p. 102) facile intelliges lusum poëtae parodi, qui ex ambiguo vocabulo risum eucupatus sit. Figlinum autem fuisse hoc hydriarum genus, tum aliunde constat, tum e Caseieno Lib. IV, 16, quem locum commode adhibuit Nicarcho poëtae Jacobsius l. l. Ejus vasis mentio frequentatur a sequioris aevi scriptoribus in rebus Monachorum Aegyptiorum, qui eo utebantur ad percolendam refrigerandamque aquam Nili; vide, ne plura Palladium in histor. Lauseac. cap. 20 (Biblioth. Patr. magn. T. XIII, p. 927) Et vocetur ab illis scriptoribus nunc *βαυκάλιον*, nunc *καυκάλιον*.

Cui addere possem scriptorum aliorum *) agmen, si aut vacaret, aut opus esset. Equidem pauca subjiciam nondum occupata ab aliis. Ac primum Ephraemus Syrus in commentar. ad Jerem. II, 18. opp. T. II. p. 101, ita docet: Schigor appellari Nilum, qui et Geon **) quod lutosus et turbidus fluat. Graeci autem, qui veram nominis originem, quae hodieque non certo constat, ignorarent, ad meras etymologias confugerunt. Quam in rem classicus est locus Heliodori in Aethiopicis IX, 23, p. 381 ed. Coray, in quo et alia proferuntur non minus ridicula, et illud a limo fluvii repetitum, νέαν ἰλὺν δι' ἔτους ἐπάγοντα, καὶ Νεῖλον ἐντεῦθεν ὀνομαζόμενον ***). Eodem porro auctore constat, Nilum

*) Quos laudarunt Spanhemius in Callimach. p. 117. Schlaegerus comment. de numo Hadriani p. 85 seqq. Jablonski in Panth. I, 145 seqq. III, 144 seq 1 1 cf. ejusdem voces Aegypt. p. 143, coll. 473. Ephräemi locum supra laudatum in margine Panthei Jablonskiani adscripsit docta manus.

**) Huc facit Julii Pollucis Historia physica, quam nuper e codice bibliothecae regiae Monaehii edidit Hardtius, pag. 74. Quod ibi in notis e Chronico Alexandrino adfertur Nili nomen χρυσοροας, id emendandum erat χρυσοῤῥόας.

***) Gemina habet Etymolog. m. p. 602 observante doctissimo Coray ad h. l. p. 315, qui etiam de ceteris etymologiis consulendus est. Ejus notae hoc nunc addere libet, primum, quae ab Heliodoro dicuntur de numeris anni dierum in nomine Nili latentibus, eadem legi in Grammatico Augustano ad calcem Hermanni de emendand. rat. gramm. graec p. 351. Reliqua autem habet Joannes Lydus in libello de mensibus, nuper edito Schowii operâ, p. 111: Ἴλας ὄνομα τῷ Νείλῳ πρότερον, εἶτα Ἄιγυπτος ἐξ Αἰγύπτυ, εἶτα, Χρυσοῤῥόας, καὶ τὸ λοιπὸν Νεῖλος ἀπὸ βασιλέως ὅτω καλυμένυ, τὸ γὰρ δόξαι τοῖς γραμματικοῖς

superioris Aegypti σωτῆρα habitum esse nuncupatumque, inferioris etiam πατέρα καὶ δημιεργὸν, hoc quidem nullam aliam ob caussam, nisi quod ea crederetur ποταμόχωστος, sive ejus fluvii limo deinceps congesta *). Atqui, cum hunc fluvium non solum frugum, sed etiam ipsius terrae parentem judicarent Aegyptii, mirum non est, eundem ab iis divinis honoribus cultum fuisse. Cujus venerationis caussam hanc ipsam affert Philo-

ἀπὸ τῆς νέας ἰλυος ὀνομάσθαι τὸν Νεῖλον πρὸς ἐτυμολογίαν ἀρᾷ. De Chrysorrhoae vocabulo monuit Causaubonus ad Athen. Lib. V. cap. 36.

*) Vid. quae e veteribus in hanc rem notavi ad Historic. graecor. fragm. p. 30 seqq, ubi Artemidoro in fragmento geograph. cod. Monacensis reddidi ἰλὺν pro ὕλην ex Herodoto II. 93. Nunc addam locum unicum Ciceronis de Divinat. I. 42, sicut ille in cod. Uffenb legitur: Ut enim Aegyptii ut Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terrâ nihil emineret, quod contemplationi coeli officere posset, omnem curam in siderum contemplatione cognitioneque posuerunt: Hetrusci autem, quod religione imbuti studiorius et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt, quodque propter aëris crassitudinem de coelo apud eos multa fiebant, et quod ob eandem caussam multa inusitata partim e coelo alia ex terrâ oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu, ostentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. „Quibus vides non firmari, ut alia praetermittam, sententiam Hottingeri, partim e coeno conjicientis," quod dictum foret de animalibus e limo formatis, quam vim tribuit in primis Nilo vetustas vid. Pomp. Mel. I. 9. 30 Ovid. Metamorph I. 421. Quod vero sequitur e terrâ illud de regnô, quod dicunt, vegetabili dictum foret" Ejus tamen emendationis necessitas me magis movet, quam auctoritas librorum. De Aegypti autem fertilitate omnia notissima. Numorum imperatoriorum ratione habitâ in eam rem disputavit Schwarzius ad Plinii Panegyr. II p. 102, hujus loci lectioni patrocinium comparans e Cic D. N D. II 31. Recte.

stratus in vit. Apollonii VI, 6. *θεραπεύουσι δὲ Νεῖλον μάλιστα· τὸν γὰρ ποταμὸν τοῦτον ἡγοῦνται γῆν καὶ ὕδωρ.* cf. Juliani epist. I. p. 372 A. Spanh. Themist. orat. p. 305 Harduin. Quae cum ita sint, proclive erat, eundem populum, sicubi Nili divinum numen naturamque benigniorem per tesseram declarari vellet, ipsam hydriam pro idoneo symbolo habere. Qua in re etiam subtilius variatus est ab eâ gente hydriarum numerus. Unâ enim utebantur Aegyptii ad declarandam aquarum affluentiam: Servius ad Virgil. Aen. VIII. 696. „Isis — per situlam, quam sinistra manu retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum, id est fossarum, in quas Nilus stagnans recipiebatur;" tribus autem ejusdem fluvii ascensum (*ἀνάβασιν*) innuebant, Horapollo Hieroglyph. cap. 21. *Νείλου δὲ ἀνάβασιν σημαίνοντες — ποτὲ μὲν λέοντα γράφουσι, ποτὲ δὲ τρεῖς ὑδρίας μεγάλας.* Cujus rei hanc deinde rationem subjicit: tribus hydriis, nec pluribus neque paucioribus declarari triplicem caussam, inundationis effectricem, quarum prima ducenda sit ex ipsa terrâ Aegyptiâ, altera ex oceano, tertia ex imbribus, qui per id tempus, quo intumescat Nilus, ad australinas Aethiopiae partes contingant.

Jam vero, cum tam accurate in his eosdem agere videamus, haud alienum judicabitur quaerere, quid bina sibi velint vasa; quem numerum in nostro numismate offendimus. Equidem crediderim significasse humorem, partim e coelo partim e terra provenientem, adeoque naturae vim exundante Nilo utrinque genitricem. Quod ut ita conjiciam, facit ipse Horus Apollo, qui l. l. in his ipsis symbolis Niliacis commemorat *οὐρανὸν καὶ γῆν ὕδωρ ἀναβλύζουσαν.* Magis autem me movent illa, quae infra e veteribus proferentur de antiquissimis diis Cabiris Coelo et Terrâ, quorum natura varie significatur

numero binario, cum aliarum rerum, tum etiam vasorum, veluti in Thasiorum numis. Quae res adhuc suspensum tenuit doctissum interpretem Eckhelium, ingenue confessum D. N. V. II. 64, se ejus rei significationem ignorare. Quod mihi quidem mirationis nihil facit, qui sciam, quantopere in universo hoc symbolorum genere obscurando conspirarit et Graecorum veterum fabulas captantium libido, et Christianorum deinceps male interpretantium notabilis perversitas. Atque ita factum est, ut, cum a simplicissimâ extremae vetustatis significatione vasorum paullatim deflexum esset, jam omnia alia excogitarentur, quam quae symbolica priscorum hominum doctrina declarari voluisset. Hoc equidem nunc cum maxime teneri velim cum jam de Canobis disputandum videatur. Eo enim non solum numi nostri argumentum ducit, utpote quod hydrias exhibeat Aegyptias, qui et ipsi fere Canobi dicuntur *), aut revocant Othonis numi alii, qui ollas habeant superimposito capite humano **), quod genus, adhuc quidem, proprie Canoborum nomine appellari creditum est: sed suadet multo magis, vel potius cogit universum nostrum consilium, quandoquidem Bacchicas res Orphicasque, conjunctissimas cum crateribus vasisque aliis, expedire constituimus.

Ac primum de ipsis illis hydriis, sacerdotis Aegyptii fraude humano capite junctis, speciosa fabula est apud Suidam s.

*) Observante etiam Schlichtegrollio in Commentar. germanico ad gemmas selectas e museo Stoschiano pag 61.

**) Vid. Eckhel. D. N. V. IV. p. 56. Othonis numi Alexandrini „cum aquilâ, cum capite Serapidis, Canopi". Sestini catal. Musei Arigoniani p. 104. Othonis numus in quo „Canopus cum calanticâ et flore in capite."

κάνωπος Rufinumque in historiâ ecclesiasticâ Lib. XI. cap. 26, quam ego, ne longior sim, hujus tantummodo verbis referam. Ita enim iste: „Ferunt aliquando Chaldaeos, Ignem deum suum, circumferentes, cum omnium provinciarum diis habuisse conflictum, quo scilicet, qui vicisset, hic esse deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum dii, aeris aut auri argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materiâ constabant, quae per ignem procul dubio corrumperetur; ex quo fiebat, ut Ignis locis omnibus obtineret. Haec quum audisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriae fieri solent in Aegypti partibus fictiles, undique crebris et minutis admodum foraminibus patulae, quibus turbida aqua desudans defecatior ac purior redditur. Harum ille unam, cerâ foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aquâ repletam, statuit in deum. Et excisum veteris simulacri quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum, diligenter aptavit. Adsunt posthaec Chaldaei: itur in conflictum: circa hydriam ignis accenditur: cera, qua foramina fuerunt obturata, resolvitur: sudante hydriâ ignis exstinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldaeorum victor ostenditur. Unde ipsum Canopi simulacrum, pedibus perexignis, attracto collo et quasi sugillato, ventre tumido, in modum hydriae, cum dorso aequaliter tereti formatur."

Jam si de Canopo quaeris, qui Menelai gubernator, simulacro ab Aegyptiis honoratus sit, possim equidem inclamare illud poëtae: Cui non dictus Hylas! Inde enim ab Hecateo Milesio ad extremos usque Latinorum grammaticos *)

*) Vid. Strabo Geogr. XVII, p. 1152. — Conon. ap. Phot. narrat.

haec res, per manus quasi tradita, ab unoquoque fere pertractata est. Isti nimirum, plus fidei habentes τῷ κοινῷ λόγῳ illique λογογράφῳ quam tacitae eloquentiae Herodoti, quae omnia alia suadere videretur, his fabulis exornandis certatim operam dederunt. Quarum summa hue fere redit. Ajunt enim Menelaum Lacedaemoniorum regem, post excisam Trojam, una cum Helenâ uxore, delatum ventis ad Aegypti litus, in eâ terrâ commoratum, gubernatorem suum, Canopum nomine, amisisse, ictum haemorrhoidis serpentis morsu. Hujus autem obitum graviter luxisse et Menelaum et uxorem Helenam; indeque Canopum ab hero suo rite sepultum fanoque donatum Aegyptiacae urbi nomen dedisse. Narrant praeterea de Theonoë, Protei Aegyptiaci regis filiâ, quae Canopum ob pulcritudinem ejus deperierit *). Addit denique **) aliquis narrationem, vel fabulam potius, de Eumenuthi, Canopi uxore, quae cum viro suo sepulta ad Alexandriam ***), una cum eo divinos honores nacta sit. Frequentatum

VIII. p. 8. ed. Kanne, Nicander in Theriacis 309 seqq. ibiq. Schol. Aelian Hist. Animal. XV. 13. p. 495 ed. Schneider. Scylax p. 104 ed. Gronov. Stephan. Byz. s. Κάνωπος, Dionys. Perieg. vers 13 ibiq. Eustath, Tacitus Annal. II. 60. Ammian. Marcellin. XXII. cap. 16. Servius ad Virgil. Georg. IV. 287. alii.

*) Conon. l. l. Quae quantopere jam efficta sint ad graecorum ingenium, monere non est necesse.

**) Ephiphanius in Ancorato Opp. Tom. II. p. 109 ed. Petav. vel potius de Menuthi, si verum vidit Berkelius, qui ad Steph Byz. s v. Μένουθις hanc ipsam vocem inserendam judicavit Epiphanio.

***) De Canopi sepulcro ad Alexandriam impeditior est locus Scylacis p. 104, quem in notâ mscr., adjecta exemplo meo, expedire studuit

autem circa ea Aegypti loca Canobi nomen esse, inter omnes constat. Erat enim jam Aeschyli aevo celebrata urbs Κάνωβος, sita in extremis Aegypti finibus occidentem versus *), unde dictum, est Nili ostiorum illud, quod in occidentem patet, Canobicum **). Erat praeterea objecta ei ostio Canobus insula, quam desertam dicit Scylax ***) Fossae denique ejusdem nominis mentionem facit Strabo loco supra laudato. Adscripta autem illa

Gronovius, sic interpretando: „Et monumenta illic sunt Menelai, nempe, gubernatoris ejus a Trojâ, nomine Canopi sepulcrum"

*) Aeschyli Prometheus 852, qui eam ἐσχάτην χθονὸς appellat ab hoc ipso occidentali situ cf. Stanley ad h. l. p. 143 ed. Schützii. Herodot. II. 97. ibiq. Larcherus. Virgil. Georgic. IV. 287. ibiq. Interprett. Distabat ea ab Alexandriâ centum et viginti stadia. Fuit altera urbs ejus nominis in Lybiâ, de quâ Plinius H. N. V. 4, tertia Africae. De eâ vid. Ptolem. IV. 3. Aegyptiacae urbis aream hodie obtinet castellum, cui nomen Aboukir, vulgo dictum Epikeria, vid. Larcheri viri doctissimi Table geographique p. 97 coll. Coray ad Heliodor Aethiop I. 1.

**) Herodot. II. 17. Strabo XVII. 1136. D. Diodor. I. 23. Ptolem. IV. 5. Idem tamen ostium a fano Herculis dictum Heracleoticum, nec minus, Plinio teste, Naucratium ab oppido Naucrati cf. Coray ad Heliodor. Aethiop. I. 1. et 11.

***) Vid. l. l. Admonet desolata insula loci Ciceroniani de Divinatione II. 9, varie tentati a criticis, qui non tentandus erat. Retinenda enim est omnium librorum lectio: in solitudine Aegyptiorum, quam cum strenue tuitus sit Hottingerus, nunc quidem ad eam firmandam nihil addo nisi auctoritatem optimae notae codicis Uffenbachiani, cujus ego usum acceptum refero benivolentiae Hartmanni professoris Marburgensis, qui et ipse optimae notae libris Aegypti memorabilia illustravit.

urbs fuit Nomo Menelaitae, tanquam metropolis *), celebrata apud veteres eximia fertilitate soli, quo id ipsum pertinere videtur, quod proxime de ejus nominis origine Aegyptiâ ponemus. Neque tamen minus, ut assolet in affluentiâ rerum, incitato navigantium commercio, ea urbs infamis fuit luxuriâ civium, qua ne cogitari quidem quidquam poterat effusius. Et memorantur jam ab Anacreonte πόθοι Κανώβου, qui vel in proverbium cessere **), unde Ovidius:

*) Ptolem. IV. 5. Quare mirari subit, a Proclo in Platonis Tim. p. 30 l. 24 seqq. commemorari Nomum Canobicum, qui ab oppido Canobo appellatus sit: ἀπὸ δὲ τῆς πόλεως ὁ σύμπας ἀνόμασται νομὸς Σαϊτικὸς, (de quo ibidem legitur egregium fragmentum Theopompi) ὥσπερ ἀπὸ τῆς Σεβεννύτου (leg. Σεβεννύτου) Σεβεννυτικὸς, καὶ ἀπὸ τοῦ Κανώβου, Κανωβικός. Neque enim ullus scriptorum, qui Aegyptiorum nomos enumerarunt, Canobicum agnoscit, Herodot. II. 165. Diodor. I. 54. Strabo XVII. 1135. D. Plin. Histor. N. V. 9. Cave tamen quidquam mutandum censeas, etenim cogitanda est Procli aetas, quae in hac re multum novavit, ita ut inde a seculo p. C. N. tertio vulgo Nomum dicerent urbem quamlibet primariam cum subjacente agro. Quae res tenenda est ad geographiam sacram Christianorum, eamque attigit Wesselingius ad Diodor. l. l., subtilius tractavit Jablonski voc. Aegypt. p. 171. De Canobo, tanquam nobilissimo emporio locus classicus est Herodoteus II. 179. Canobici autem agri oppidum si quaeris, Stephanus suppeditat Byzantius s. Ταριχέαι, ubi eius nominis et aliae commemorantur et Ταριχέαι Κανωβικαί, quem locum explicavit Salmasius Exercitt. Plin. p. 578.

**) Anacreon Od. XXXII. 20. Senecae epist. 51. cf. Mureti Schol. Tom. III. opp. Ruhnk. p. 49. Juvenal. Satyr. VI. 84. Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 5. Erasmi Adag. p. 466. Inde Hadrianus quoque Romanorum imperator, qui circa villam suam exprimeret quidquid Aegyptus in deliciis haberet, ejus villae locum quendam amoenum Canobum

— genialia arva Canopi

praedicat. Classicus tamen in eam rem locus est Strabonis XVII, p. 1151, Almelov. inde vel peculiare vocabulum effingentis. Ejus insigniora subjiciam: ἔστι δ᾽ αὕτη (Eleusis Aegyptia) κατοικία πλησίον τῆς τε Ἀλεξανδρείας καὶ τῆς Νικοπόλεως ἐν αὐτῇ τῇ Κανωβικῇ διώρυγι κειμένη, διαίτας ἔχουσα καὶ ἀπόψεις τοῖς καπυρίζειν βουλομένοις καὶ ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν, ἀρχή τις κανωβισμοῦ καὶ τῆς ἐκεῖ λαμυρίας.

Quo in loco negotium facessit vocabulum καπυρίζειν, quod Casaubonus significare suspicatur: gulae indulgere et ventri inservire, coll. Lib. XIV. 976, ubi τρυφητῶν ἀνθρώπων jungitur voci καπυριστῶν. Videtur tamen proprie significare eos, qui loca peterent auris salutarique temperamento perflabilia, ut Ammiani Marcellini verbis utar XXII. 16 Canobi oblectamenta describentis. Eo etiam ducit Hesychius, apud quem κάπυς est πνεῦμα et καπυρὸς, καπύσσων ἐκπνέων. Dubitanter autem agendum est in hujus vocabuli vi constituendâ, quam certo assequi non licet, nisi primam ejus vim atque originem habeas exploratam, confitente ipso Tib. Hemsterhusio ad Lucian. Dial. Deor. p. 321 Bip, nec certiora exputavit doctissimus Schweighaeuserus ad Athen. XV. 63. p. 299. Ejus vero obscuritatis caussa fortasse in eo est, quod non graecae sed barbarae est originis vocabulum. Memorat enim Pollux Lib. VII. 13. §. 61 inter Persica vestimenta Κάπυριν tanquam tunicae genus, et eodem capite Σάραπιν, vestem

dici voluit. Spartianus in ejus vitâ cap. 26. Ovidii locus est Amor. 13. 7. Sequor librorum lectionem, quam reduxit Heinsius, probavit Burmannus.

Persicam, albo distinctam. Sic enim in Pollucis loco jam emendavit Barnabas Brissonius de reg. Pers. princ. p. 649, quam emendationem confirmat Hesychii locus, ubi Σάραπις plane eodem modo explicatur laudatis Ctesiae Persicis. Qua de re cum aliorum auxilium circumspicerem, frustra Kleukeri Appendicem ad Zendavest. consului. Wilkenius autem noster me edocuit, hodierno quoque Persarum sermone Gab-reh esse vestem quam tempore belli gerunt, Σάραπιν porro, idem suspicatur, fortasse vel componi posse cum voce Serapai, quae, tanquam epitheton, posse videatur adhiberi ad describendam illam Medicam vestem ποδήρη, vel cum vocabulo Serpasch, quo declaretur vitta. Horum autem vestimentorum rationem ex Arsacidarum numis explicare instituit Spanhemius de Us. et Praest. Numism. I, p. 456. Hujus quidem amiculi usus traductus ad alias quoque gentes est. Sic, ut hoc utar, a Democrito apud Athen. XII, 29 in exemplis luxuriae Jonum ponuntur σαράπεις μήλινοι κ. τ. λ. Jam illud singulare est, verbum καπυρίζειν usurpari in describendis Canobi urbis deliciis, ubi locorum Σάραπις deus patrio cultu celebrabatur, quod infra docebimus; porro in illa voce inesse significationem salubris temperationis refrigerationisque; refrigerandi autem temperandique vim, tanquam peculiarem, Osiridi sive Serapidi veteres attribuisse infra explicabitur. Itaque, sicut καπυρίζειν dictum vidimus de Serapidis cultoribus, ita etiam in Persici sermonis vestigiis utrumque reperimus vocabulum et Σάραπις et Κάπυρις conjunctum significationis similitudine. Atque haec ideo posuimus, quo alii fortasse ad certiora ducerentur: nos quidem de his rebus non magis volumus hariolari, quam quaerere, an forte Juvenalis Satir. I,

26 seqq. ex peculiari famâ de **Serapidis** religionibus colorem duxerit. Ita autem ille:

> „Quum pars Niliacae plebis, quum verna **Canopi**
> Crispinus, Tyrias humero revocante **lacernas**
> **Ventilet** aestivum digitis sudantibus aurum.“

Aliorum scriptorum locos de luxuriâ Canobi excitavit C. **Barth** ad **Statii Sylv.** III, 2, 111 et **Ruperti** ad Juvenal. p. 15. — Illud autem praemonendum videtur esse, deinde a nobis confirmandum, non solum nominis **Serapidis** vestigia deprehendi in Orientalium sermonibus, sed ejus dei etiam religiones in mediâ Asiâ haud paulo vetustiores esse, quam adhuc a plerisque creditum.

Nec vero solum, ut illuc redeam, iis rebus quas diximus celebratum oppidum: verum etiam fano et religionibus. Quo pertinet illud **Dionysii** *)

> *καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου,*

Erat autem **Serapidi** consecrata aedes, frequentabaturque ab iis, qui illic incubando morborum remedia ab eo deo sibi secundum quietem patefacta vellent. Unde etiam curationibus memoriae tradendis medicina incrementa cepit **). Posterioribus

*) Perieg. vers 13.

) **Strabo XVII. p. 1152 Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις — ἔχουσα τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερὸν πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον, καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥστε καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας πιστεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἑτέρων. Συγγράφουσι δέ τινες καὶ τὰς θεραπείας, ἄλλοι δὲ ἀρετὰς τῶν ἐνταῦθα λογίων. Cf. **Cic. de Divinat.** II. 59. „Quid igitur (sic Cod. Uff. et lenius, uti videtur) convenit aegrotos a conjectura somniorum potius quam a me-

quoque seculis tantum abfuit, ut evanesceret ea urbis claritudo, ut potius, si hoc fieri posset, magis etiam augeretur. Etenim inde fere ab Alexandri Severi aevo maxime celebrabatur reconditioribus sacris, quibus sedulo operam dabant philosophi Platonici per ea tempora florentes, in quorum studia vehementer invehitur Rufinus *).

Haec hactenus. Priusquam vero de numinis Canobici naturâ et religionibus quaeramus, praemittendus videtur locus in eam rem primarius Aristidis oratoris, qui hactenus certe adjuvat recte examinantium studia, quatenus eam rem vindicatam a Graecorum fabulis ad patriam Aegyptum revocat. Habet autem ita: καὶ τȣτ᾽ ἂν ἔχει νῦν ȣτω, κἀκεῖνα, φασὶν, ὁ Θῶς· Ὅμηρος αὐτὸς ἀντιλέγει. πῶς; ὅτι οἶδε καὶ αὐτός πȣ τὸν Μενελάȣ σὺν Ἑλένῃ πλȣ̃ν εἰς Αἴγυπτον. ὁ τοίνυν Κάνωβος ὄνομά ἐςι Μενελάȣ κυβερνήτȣ,

dico petere medicinam. An Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere (per somnium in margine) curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest?" Caeterum I. 43. cod. Uff. cum reliquis in vitioso excubabant conspirat. Serapidis autem salutiferi mentio exstat in marmoribus, ut apud Gruterum p. XXII. num. 7. 8 9. et 10.

*) Eunapius in vitâ Aedesii p. 69 seqq. ed. Stephani: τὸ κανωβικὸν τȣ̃ Νείλȣ στόμα — τοῖς ἐκεῖ τελȣμένοις. Rufin. Hist. eccl. II. 26. „Jam vero Canopi quis enumeret superstitiosa flagitia, ubi praetextu sacerdotalium literarum, ita enim appellant antiquas Aegyptiorum literas, magicae artis erat paene publica schola." De hieroglyphicis literis ad magiam adhibitis docte disputavit V. C. Zoëga de obelisc. p. 546 seq. Notum est autem sequiore aevo varie constitum esse circa haec fana religionesque Serapidis a Juliano, Constantino magno, Theodosio magno. De illis imperatoribus, praeter Eunapium, refert Pollux in Historiâ physicâ nuper editâ pag. 365, de hoc vid. magnum Jacobum Gothofredum ad Codic. Theodos. VI. 273.

ὡς Ἑκαταῖος τε δή φησιν ο λογοποιὸς, καὶ τὸ κοινὸν τῆς φήμης, ȣ̓ τελευτήσαντος περὶ τὸν τόπον τȣ̃τον λείπεται τȣ̓̃νομα ταυτὶ φημὶ, ὡς Ἕλληνες λέγȣσιν. ἐπεὶ ἔγωγε ἤκȣσα ἐν αὐτῷ Κανώβῳ τῶν ἱερέων ȣ̓ τȣ̃ φαυλοτάτȣ, ὅτι μυρίοις ἔτεσι πρότερον, ἢ Μενέλαον ἐκεῖσε προσχεῖν, τὸ χωρίον ȣ̓́τως ὠνομάζετο. καὶ ἐκ ἄντικρυς μὲν ἔλεγε τȣ̓́νομα τȣ̃τ' αὐτὸ ὡς ἀπογράψαι γράμματι Ἑλληνικοῖς, ἀλλ' ἦν μὲν ὥσπερ ἐμφερόμενον καὶ περιτρέχον, Αἰγύπτιον δὲ καὶ δυσγράμματον μᾶλλον. τόδ' ȣ̓ν ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλȣ̃ν ἔφη χρυσȣ̃ν ἔδαφος· εἰωθός τι τȣ̃το τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπιφημίζειν τοιαῦτα τοῖς παρ' αὐτοῖς χωρίοις, οἷτε Ἐλεφαντίνη, καὶ πάλιν Διὸς πόλις, καὶ Ηλίȣ δὴ πόλις· ȣ̓́τω καὶ τȣ̃τ' ἔφη τȣ̓́νομα χρυσȣ̃ν ἔδαφος εἶναι εἰπεῖν ἀνδρὶ Ἕλληνι. ἀλλ' ἐῶ τȣ̃το· καίτοι Αἰγυπτίους γε ἀκριβέστερον εἰκὸς εἰδέναι τὰ σφέτερα αὐτῶν ἤπερ Ὅμηρον τὸν ἐν Σμύρνῃ, καὶ Ἑκαταῖον τὸν ἐν Μιλήτῳ. ȣ̓ μόνον κατὰ τȣ̃θ' ὅτι τις ἂν φήσειεν ἁπλῶς εἰκὸς καὶ κοινὸν. ἀλλ' ὅγε καὶ ἴδιον κατὰ τȣ́των ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι διὰ παλαιότητα χ ́ονȣ καὶ τὸ μηδὲν αὐτοῖς τῶν ἐξ ȣ̓ρανȣ̃ πεπονθέναι τὴν χώραν, καὶ τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐπιφανῶν μάρτυρες εἰσὶν αὐτοὶ, καὶ ἵστορες ἀξιόχρεω, καὶ πάντα φυλάττȣσιν ἐν στήλαις ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀντ' ἄλλων κτημάτων *). Atque hic locus dudum advertit homines eruditos, qui, hoc duce usi, id ipsum Canobi nomen ex Aegyptio etymo repetere studerent. Qua in re ita iisdem successit, ut vis vocabuli, qualem Aristidi exposuit sacerdos, cum sermone Aegyptio apprime congrueret. Fuerunt quidem qui, illam expositionem aspernati, potius a Chnupho, qui erat Aegyptiorum δημιȣργός, eam vocem ducen-

*) Aristidis orat. Aegyptiaca, opp. T. II. p. 359 seq. ed. Jebb. Cujus loci extremis Platonem expressit orator, vid. Timaeum p. 10.3 conf. Herodot. II. 58. et Proclum, in comment. ad Plat. l. l., p. 31, cui ex Aristide reddendum est στηλῶν pro στυλῶν

dam crederent *). Magis tamen satisfecit intelligentium judicio illa altera sententia, quae ita fert, ut illius populi sermone sit KA'HNOTB, quod Graecorum Κάνωβος, nomine composito e voce KA'H terra, Solum et NOTB aurum, igiturque secundo casu, KA'HNNOTB (cah Annub) significet solum aureum **). Eam etymologiam si recte teneas, facile intelliges, quam nihil viderint Graecorum grammatici, qui e suae linguae legibus de hac voce scribendâ praeciperent, quam ita elatam volebant, ut sit Κάνωπος, cum contra retinendum fuerit Κάνωβος. Vid. Etymolog. M. et Stephan. Byzant. s. v. Eam rationem supino, ut fit, errore deinceps secuti sunt plurimi scriptores utriusque sermonis, ut illam notans Quintilianus jam receptam dicat ***).

*) Zoëga in Numis Aegyptiorum Imperatoriis p. 34 seqq. Cujus tamen praestantissimum opus de Obeliscis p. 437 si conferatur, putandus est ipse retractasse eam sententiam.

**) Quam rem nuper etiam probavit intelligentissimus harum rerum arbiter Silvestre de Sacy, in Millinii Magazin Encyclopedique an. IX. Tom. VI. p. 470, qui vocem docte explicens optime monstravit, qui fiat ut δυσγράμματον queratur Graecus homo Aristides. Eum Sacyi commentationem in suam rem adhibuit Larcherus Appendic. ad Herodot. Tom. II. p 561. seqq. germanico autem sermone reddidit Dornedden in libro qui inscribitur: neue Theorie zur Erklärung der griech. Mythologie p. 375. Aliorum opiniones congessit Te Water in notis ad Jablonskii Voc. Aegypt p. 103 seq.

***) Instit. orator. I. 5. 54. ubi ex Cicerone ipso affertur Canopitarum exercitus, et sic plerique cum prosaici tum poëtae, vid. Spalding ad h. l. p. 93. Illa autem Quintiliani observatio de veriore scriptione Canobitarum firmatur etiam auctoritate numismatum, velut hoc Hadriani, in quo Canobi, qui vulgo dicitur, simulacrum cum epigra-

Pressius contra quam ullus eorum, quos hactenus vidimus, scriptorum Aegyptiacam rationem sequitur Joh. Lydus de mensibus p. 60. in loco de placentis, quem subjiciamus tum Athenaei gratiâ, tum quod eum a nemine adhuc in eam rem vocatum videmus. πλακοῦντας δὲ Ῥωμαῖοι τὰ ἐκ μέλιτος πόπανα καλοῦσι, διὰ τὸ ἐν Πλακεντίᾳ τῇ πόλει τῆς Ἰταλίας πρῶτον ἐξ Ἑλλήνων, ἢ μᾶλλον ἐκ Σαμίων την τοιαύτην ἐδωδὴν παρελθεῖν, καὶ διὰ τοῦτο οὕτω λέγεσθαι, ὡς Ταραντινὰ ἀπὸ Τάραντος, καὶ Κανουβικὰ ἀπὸ Κανώβου, καὶ Κοπτὰ ἀπὸ Κοπτοῦ. κ. τ. λ. *). Qui scribendi modus, nemo non intelligit, quantopere congruat Aegyptio vocabulo. Quocirca in Lydo quidem eundem retinendum existimo, licet in aliis scriptoribus inde nihil mutaverim, nisi forte ubi librorum vestigia eodem duxerint.

Perversa autem ista scribendi nominis ratio non aliunde originem duxit, quam ex opinione aeque perversâ, quae antiquitus

phe: ΚΑΝΩΒΙΤΩΝ, ap. Vaillant in Aegypto numismatica, ad calcem Historiae Ptolemaeorum p. 205.

*) Athen. lib. XIV. cap. 57 init. quem locum antea lacunosum supplevit e codicibus Casaubonus, cui rei jam haec nova Lydi accedit auctoritas. Eadem egregie firmantur quae Schweighaeuserus v. c. p. 575 de discrimine monuit quod intercedat inter κόπτη et κοπτή. At vero de alterius vocis lectione aliud suadet hic ipse locus. Schweighaeuserus enim e vetustis membranis in Athenaeo correxit Τερεντῖνον, quod etiam in Plinio H. N. XV. 10. 9 confusum esset cum Tarentinum, collato Macrobio Saturn. III, 18 fin. Sed cum Plinius Macrobiusque de nucibus agant, nunc quidem haud scio an Athenaei codicibus praeferendum sit luculentum Lydi testimonium. Ceterum nos in hoc ipso vitiosum Ταραντηνὰ emendavimus, secuti Stephani Byzantii praeceptum sub Τάρας: accentum mutare noluimus, quamquam in hoc describendo saepe commissum est in editione Lydi. In sequentibus corrigendum est σησαμον.

apud Graecos obtinuit, firmata etiam Hecataei Milesii testimonio: appellatam eam urbem esse a Menelai gubernatore eodemque heroë Canopo. Cui rationi quam nihil tribuendum sit, admonet silentium Herodoti, qui quoties attingeret res Canobicas, toties hanc ipsam tacendo, quod in Hecataeo facere fere solet, satis docuit, sibi in hac quidem caussâ non probari opinionem hujus λογογράφυ, ceteroqui minime creduli.

Neque tamen solus Hecateus accusandus est, aut quicunque e priscis cum eo facerent, sed magis etiam sequiores antiquorum scriptorum, praesertim Christiani, qui, non contenti fabellis Graecorum, iisdem etiam sua commenta affingerent, ut istud est Epiphanii de illius gubernatoris uxore, itemque Rufini narratio de astutiâ Canobici sacerdotis. Neque minus ei rei nocuerunt recentiores, eo quod hydrias Aegyptias, superimposito capite humano, ad unum omnes communi Canoborum nomine comprehendebant. Atque ita in hac caussâ obscurandâ omnia videntur conspirasse. Neque tamen lucis nihil eidem affundere alii studuerunt. Qui quidem hactenus optime, quatenus, abjectâ istâ fabulâ de gubernatore, disputationis initia ex Aristidis loco ducenda viderunt. Zoëga quidem eadem aliunde voluit duci, universam rem ad Cnephi et nomen et cultum revocans. At idem neque ante in eâ re sibi videtur constitisse *), neque ean-

*) Observante etiam Tychsenio in der Biblioth. d. s. L. u. K. VII. 54 Zoëga enim in Num. Aegypt. Imperat. p. 34 seqq. in Canoborum specie, sicuti eam descripsimus, globum mundanum unice spectari vult, cui superne impositum caput humanum mundi opificem servatoremque declaret. Quae quantopere conjuncta sint cum disputatione nostrâ, deinceps exponetur. Caeterum sollem hunc virum sese adeo adplicuisse testimonio Appuleji, ut non nisi unam Aegyptiarum urnarum

dem persecutus est postea in majore libro de obeliscis. Quod ita equidem accipi nolim, ut nihil tribuendum censeam ei sive sententiae sive ejusdem auctori. Potest enim ipsa, si minus totius rei summam contineat, eandem tamen, modo recte adhibeatur, plurimum adjuvare, quod infra reapse intelligetur. Eum autem virum nemo nescit optime meritum esse de universâ antiquitate, inprimisque de Aegyptiacâ, cui illustrandae idem salubriter impendit et judicii subtilitatem et spectatae doctrinae copiam, ita ut qui hodieque in eodem argumento versetur, non possit non ingenue fateri, se ejusdem scriptis permultum debere. Sed videamus de Canobo. In eâ fabulâ explicandâ multo minus etiam successit Schlaegero *). Nimirum is oblocutus Strabonis **) gravissimi auctoris testimonio amplexus est sententiam, quae, sicut ipse est fassus, nullius e veteribus fide niteretur, cum crederet, illo ipso simulacro nihil aliud declarari nisi Canobum urbem, cujus cives navigandi intelligentiâ usuque inclaruerint. Magis quoque improbanda ejus ***) ea ratio est, quâ ductus illam Canobici dei victoriam explicandam arbitratur ex Judaeorum recentiorum commentis de flammarum vi certis cha-

figuram statueret obtinuisse apud veteres. Quae quam varia fuerit solus docere unumquemque potest Athenaeus, et hi ipsi loci, quos inde supra in medium protulimus.

*) De num. Hadr. p. 113 coll. 157 seqq.

**) Lib. XVII. 1152. Quo ipso Serapidi vindicatur Canobicum oraculum. Cujus auctoritati recte se applicuit Kircherus in Oedipo. Tom. III Synt. XIV. cap. 4. p. 442. Nimium in hac re tractandâ festinavit Jablonski Panth. III. p. 149.

***) Vel potius Kircheri, qui prior haec conjecit l. l. p. 450.

racteribus exstinguendâ. Probabilius conjecit Zoëga eam Rufini Suidaeque narrationem excogitatam esse ab homine Christiano, qui ethicorum deos irrisos vellet *). Aliam viam ingressus est Kannius ad Conon. l. l., qui in hanc rem ita. Juvat enim ipsum audire: „qui tamen (Canobus deus), quomodo pro Menelai gubernatore haberi potuerit, ex nullo vestigio satis apparet; conjicere tamen licet, ad eam opinionem, quamquam lateat, quomodo? duxisse, quod Canopus urbs sita esset in Aegypti nomo appellato Menelaite et Menelao tanquam heroi sacro (?) (sine dubio inde a tempore regum graecorum in Aegypto), in illoque forte herois et (?) graeci et dei Canopi religiones et templa communia essent **).“ Qua in re ut alia taceam, ita mirari subit, nihil quidquam monitum esse de loco Strabonis ***), qui Artemidorum aliosque notat, quod ejus provinciae nomen repetierint ab heroë, quod potius repetendum esset a Menelao Ptolemaei primi fratre †). Sed fac falsum

*) Numi Aegypt. imper. l. l. Caeterum amuleta sive phylacteria inde ab antiquissimis temporibus apud Aegyptios in usu fuisse docuit idem vir doctus de obeliscis §. 12. not. 2 3: contra, ipsis literis hieroglyphicis inesse vim magicam, a nemine creditum esse ante Arabum tempora vid. ibid p 547.

**) Subjicitur Zoëgae sententia de angue in hanc fabulam inducto. Quam infrà examinabimus.

***) XVII. 1153. A, quem persanavit Palmerius. Video Gronovium notâ mscr. ad Scylacem p. 104 ex hujus scriptoris testimonio nomini Menelai, in his terris frequentati, antiquiorem Ptolemaeis aetatem vindicare, sed cum ipsius Scylacis aetas adhuc in judicio versetur, equidem nemini auctor sim, ut ex tam lubricâ caussâ rationes suas suspensas faciat.

†) De eo consulendus est Plutarchus in Demetrio cap. 15 seqq.

esse Strabonem, et vera tradita fuisse ab Artemidoro, id ipsum, quod se nescire fatetur Kannius, quomodo invaluerit ista opinio de gubernatore prisci illius Menelai, id ipsum igitur tanquam primarium in hac caussâ vel maxime quaerimus.

Et vero componenda est haec res cum aliis multis, et altius repetenda ex priscorum hominum, Aegyptiorum maxime, religionibus. Harum in penetralia descendentibus facem nobis praefert ipse historiae pater. Quem cum sequemur, quocunque duxerit, noli credere hoc a nobis fieri erratico lapsu, quo latius serpat oratio deverticulorum amoenitatem captans, sed quod certo sciamus, aliter perveniri non posse eo, quo tendimus, tanquam in disputationis nostrae arcem, hoc est ad ipsam rerum Serapidis Bacchique inferi intelligentiam.

Est locus Herodoti *) primarius de Aegyptiorum diis Pataecis Cabirisque, qui antiquâ religione colebantur a Memphitis. Eum locum adscribendum duximus. Ibi aliis expositis, quae vesanus Cambyses Memphi commiserit ita pergit scriptor: ὡς δὲ δὴ καὶ ἐς **) τȣ̃ Ἡφαίςȣ τὸ ἱρὸν ἦλθε, καὶ πολλὰ τ' ὠγάλματι κατεγέλασε. ἔςι γὰρ τȣ̃ Ἡφαίςȣ τ' ὤγαλμα τοῖσι Φοινικηΐοισι Παταϊκοῖσι ἐμφερέςατον, τȣ̀ς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρώρῃσι ***) τῶν τριηρέων περιάγȣσι. ὃς δὲ τȣ́τȣς μὴ ὄπωπε, ἐγὼ δέ οἱ σημανέω· πυγμαίȣ ἀνδρὸς μίμησίς ἐςι. ἐσῆλθε δὲ καὶ ἐς τῶν Καβείρων τὸ ἱρόν, ἐς τὸ ȣ̓ θεμιτόν ἐςι ἐσιέναι ἄλλον γε ἢ τὸν ἱρέα. ταῦτα δὲ τἀγάλματα καὶ ἐνέπρησε, πολλὰ κατασκώψας· ἔςι δὲ καὶ ταῦτα ὁμοῖα τοῖσι τȣ̃ Ἡφαίςȣ. τȣ́τȣ δὲ σφέας παῖδας λέγȣσιν εἶναι.

Jam ut Pataecos videamus; ad Phoeniciam nos revocat historiae pater, quem haec simulacra in navibus collocata

*) III. 37.

**) Sic Schaeferus, vir doctissimus, reponi jussit e Codice Mediceo. Contra quae nuper denuo prodiit Reizii editio ea retinuit lectionem Wesselingio probatam ὡς δὲ δὴ κ. τ. λ.

*** In nonnullis Herodoti codicibus mendose scriptum legebatur πρύμνῃσι, unde Scholiastes duxit et Suidas cum Hesych. in παταικοι, qui ex nostro loco corrigendi sunt, vid. Ruhnkenii Dissert. de Tutelis et Insign. nav. in opuscull. p. 260. seq.

suis ipsum oculis usurpasse haec ejus descriptio satis declarat. Erat autem eorum nomen generale, Diisque omnibus Phoeniciis, forsan et Syris, commune, et sub Pataecorum appellatione, nunc Baälem nunc Astarten, sive alium deum significabant *). Atque cum Herodoti testimonio congruunt etiam quae reliqua sunt Phoenicum numismata **), si non solum ea teneas, quae ille tradat, verum etiam aetatis rationem accurate instituas. Dicit enim ille Vulcani simulacro similes esse Pataecos Phoenicios, his autem rursus consimiles facit Aegyptiorum Cabiros. Jam cum in Phoenicum aut Hellenophoenicum numis toties compareat Καβίρων epigraphe, ex hoc loco satis probabilis ducitur conjectura: cascis Phoenicum numis neque dum ad Graecorum rationem effictis et ipsos exhibitos esse Deos magnos, sive Cabiros, sive Pataecos, eâdem figurâ, quam iisdem tribuit h. l. Herodotus ***).

*) Sunt paene ipsa verba Seldeni de Diis Syr. II. c 16. p. 279. cf. p. 212. De origine primaque vi nominis disputant eruditi. Haec enim Scaligero ad Euseb. Chron. p. 39 est sculptura; Bocharto Chan. I. cap. 12. securitas.

**) De quo nummorum genere universo egit Joan. Swintonus in eâ dissertatione, quae inscribitur de Numis Samar et Phoenic.

***) Neque igitur crediderim, si hujus loci meminisset Eckhelius, eum scripturum fuisse, quae leguntur D. N. V. III. 375. „Quam formam primum Phoenices Cabiris suis affinxerint, non constat." Utique jam constat tribuisse pygmaeorum staturam habitumque. Posterior autem Phoenicum ac praecipue serius Hellenophoenicum usus sic ferebat, ut Cabiros in numis significarent vel binis capitibus, quibus astra imminerent, vel aliis rebus, quibus Graeci Dioscuros designabant vid. l. l. Qua de re infra pluribus dicetur.

Quodsi autem penitius inquirimus in Pataecorum speciem habitumque, illa ipsa similitudo a pygmaeo ducta nonnihil difficultatis videtur habere. Constat enim inter omnes, quam varia de eo hominum genere tradiderint veteres ab Homero usque ad Plinium et sequiores. Nos, omissis ceteris, in memoriam revocabimus locum satis antiqui scriptoris Ctesiae in historiâ Indicâ *), qui ipsis staturam binorum cubitorum aut unius cum dimidio tribuit, comam autem promissam adeo ut ipsâ pro vestimento utantur. Minores etiam fingunt alii pygmaeos alios aliis in terris habitantes. Nos teneamus illud de cubitali staturâ convenire inter plerosque. Capillus autem promissior, quem Indicis pygmaeis attribuit Ctesias, apprime congruit cum quorundam simulacrorum Aegyptiorum habitu. Neque minus Cambysis cavillatio risusque credibile facit eos Memphitarum Deos deformes quoque fuisse, adeoque fortasse similes eis, quales Rufinus dicit, l. supra laudato, Canopos: „pedibus perexiguis attracto collo et quasi sugillato ventre tumido, in modum hydriae cum dorso aequaliter tereti.“ Quod ut ita statuas, et alia suadent, deinceps exponenda, et insuper illa, quae Pocockius Thebis Aegyptiis in quodam templo se vidisse simulacra refert. Mirifice autem tum Herodotea illa tum universam hanc caussam illustrat Pausaniae locus **) de Brasiis Eleutherolaconum oppido, ubi, postquam de Baccho narrari dixerat, quae ceteri Graecorum neutiquam confiterentur, ita pergit: ἄκρα δὲ ἐστιν ἐν ταῖς Βρασίαις μικρὰ προέχουσα ἠρέμα ἐς τὴν θάλασσαν, καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοῖ ποδιαίων ἑστήκασιν ὀ

*) Apud Photium, indeque ad calcem Herodoti p. 828 ed. Wessel. — Pocokii locus est in ejus Description of the Egypt. I. tab. 42. 67.

**) Laconic. XXIV, 4. p. 439 Fac.

μείζονες, πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. οὐκ οἶδα, εἰ Διοσκούρους σφᾶς, ἢ Κορύβαντας νομίζουσι· τρεῖς δ' οὖν εἰσί, τέταρτον δὲ Ἀθηνᾶς ἄγαλμα. Quo ex loco nunc haec enotari velim, primum, quod **pedales** perhibentur istae figurae, deinde quod tres numero, tum quod pileos in capitibus gerunt, denique quod in **Laconico** oppido conspiciebantur. Itaque corporis statura consimillima ei qualem Memphiticis illis diis adsignat Herodotus. Dioscurorum vero nomen hoc loco a Pausaniâ usurpari facile patiaris, ita tamen, ut ne quis Tyndaridas cogitet, sed antiquiores Tyndaridis, quod et pygmaeorum habitus declarat, et satis firmabitur iis quae in hanc rem infra monebimus. Corybantum autem injecta mentio nec ipsa aliena est, dummodo hoc solum ponas **armatos** pygmaeos significari *). Utut decernas, hoc certum, accomodate hos ipsos appellari **Pataecos**, utpote qui pedali statura in antiquissimi oppidi agro, eodemque in mare prominente positi dicantur. Atque ita Graecia ipsa, et quod inprimis tenendum est, **Laconia Pataecorum** vestigia usque ad Romanorum aetatem servavit.

Sed revertamur ad Phoenicia sacra. Nam sicut Phoenices in suis Pataecis corporis exiguitatem spectabant, ita iidem in uno deorum suorum formam rotundam sive orbiculatam. Erat enim iisdem inter Belos aliquis, quem prorsus **circularem** fingere consueverant. Vide ejus rei testimonia proferentem harum religionum doctissimum interpretem Seldenum **). Neque enim nunc quidem immorabor huic rei, quae munitior ponetur,

*) **Armatos Cabiros** exhibent Phoenicum nummi hac ipsa epigraphe vid **Eckhel** III. 374.

) De Diis Syr. p 151. 152. Invenit autem is deus nomen **Aglibali s. **Agolbaali**.

ubi ad Cabiros pervenerimus, in quorum sacris illa globi species frequentatur. Nam cum Aegyptios Cabiros Pataecis prorsus similes perhibeat Herodotus, jure nobis hoc sumere videmur posse, ut quod de illis traditum reperiatur, etiam in hos cadere existimemus. Videamus partes quas Pataecis suis dedere Phoenices qui primi feruntur rates ventis credidisse. In navibus enim collocatos ab his fuisse arguit Herodotus. Quo in loco non jam anquiramus illud, quod a multis disceptatum utrinque est, utrum in prora an in puppi sedem habuerint iidem dii *), sed acquiescamus in eo, quod ad rem nostram accommodatum est, fuisse simulacra vel signa quaedam publice constituta, quibus Phoeniciae ab aliarum gentium navibus distinguerentur, vel ipsos navium tutores et Deos averruncos.

Alii tamen insuper haec ipsa numina muneri praefuerunt, ad mensam nimirum epulasque adhibita. Quae res continuo admonet eorum, quae supra **) ex Athenaeo in medium protulimus. Hoc enim teste in plerisque vitae hujus instrumentis, praecipue in poculis formam rotundam ad mundi instar usurparunt veteres. Jam cum hac ipsa specie effictos Pataecos viderimus, mirum non est eosdem tamquam mundana symbola conviviis interfuisse adeoque forte praefuisse. Et vero rem sese ita habuisse loquuntur peculiaria de Pataecis testimonia Gram-

*) Ejus disceptationis materia partim nata est ex parversa loci Herodotei lectione, de qua supra diximus Totam rem, in qua Stanleyus ad Aeschylum p. 742, 743 Schefferus de militia navali III, 1. Seldenus de D. S. II. 16 alii elaborarunt, confecit Kuhnkenius l. l. p. 260 seq. cf. Alberti ad Hesych. s. v. *παταικοί*.

**) Pag. 37.

maticorum. **Hesychius** *): Εὐφράδης. Παταϊκὸς ἐπιτραπέζιος. Idem **) Γιγνῶν. οἱ δὲ Γιγῶν. παταϊκὸς ἐπιπαταταϊκὸς τραπέζιος. οἱ δὲ Αἰγύπτιον Ἡρακλέα. Jam primum illud ipsum Εὐφράδης ad mensam epulasque pertinet, observante Isaaco Casaubono ad Suetonium ***). Invenit enim ille εὐφραίνεσθαι in veteribus glossariis explicatum epulari. Eodem autem nos revocat insolentior vox Γιγών †), si verum viderunt qui orientale etymon eruerunt viri docti ad Hesych. l. l. Arabice enim convivium declarare perhibent. Sed haec missa faciamus, quandoquidem ipsa res satis firmata aliunde est. Atque huc mihi pertinere videtur Suidas ††): οἱ πάτταικοι Φοινικικοὶ ἐν ταῖς πρύμναις ἱδρυμένοι, χρύσια ἄπεφθα τοῖς παττaίκοις ἐμφερῆ. Hunc enim locum non ex Herodoto ductum esse, quod perperam creditum reperio, satis monstrant metri vestigia quae poëtae alicujus verba servata a

*) Vol. I. p. 1535 ed. Alberti.

**) Ibid. p. 830 seq. In hoc autem loco vel cum Heinsio legendum est ἐπεὶ παταικ. κ. τ. λ. vel illud ἐπὶ addendum est voci τραπέζιος; quod praefero. Cod. vero Venetus a Schowio collatus habet sub. v. Εὐφραδ.: ἐπιτραπέζειος.

***) In Julio cap. 38, p. 155 ed. Wolf.

†) In ea voce mirifice variant grammatici. Γίγων Cyrillus Lex. mscr. Γιγγρών Eustath. ad Odyss VIII. p. 1559. Γιγρὼν Idem ad Odyss. XX. p. 1880 cf. Interprett. ad Hesych. Γιγὼν Etymol. m. s. γιγανίς cf. Steph. s. γίγωνος. Quae Jablonskius conjecerat in Panth. I. p. 188, ea postea ipsi videntur displicuisse. Neque enim quidquam de ea re legitur in ejus libro de Voc. Aegypt.

††) In παττaικ. Tom. III. p. 59 Kuster. Et eadem rursus in ἀπεφθ. Tom. I. p. 258. Xenophontis locus legitur in Cyripaed. VIII. 7.

Lexicographo arguunt. Est versus Jambicus senarius, quem sic refingi voluit Kusterus:

Καὶ χρυσι' (al. χρυσει'; omisso καὶ) ἄπεφθα τοῖς παταίκοις ἐμφερῆ.

Quod autem de sensu laborant, eum jam sic expediri posse crediderim, ut χρύσια ἄπεφθα accipias pro vasis s. crateribus ex puro auro confectis, quo sensu χρυσὸς usurpatur a Xenophonte. Quam in rem laudari possit etiam Athenaeus, VI. 16; de quo loco deinde agetur.

Docere autem ista unumquemque possunt, antiquissimos illos Phoenicum Pataecos, et ut quisque rotunda figura et ventrioso habitu iisdem simillimus fuerit, non solum in navibus locatos, verum etiam adpositos in mensâ tanquam datores earum rerum, quibus vita sustentatur convivalisque laetitiae auctores. Atque ea fere accepta retulisse antiquos illis sive Pataecis sive Cabiris cum alia declarant, tum illud Orphici poëtae *), qui praeter Cererem se cecinisse ait:

— — ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων.

Neque tamen ollari figurâ, quâ priscorum hominum acquieverat simplicitas, contenta fuit cultior aetas, sed eandem ad elegantiorem formam erudivit. Atque ita factum est, ut pro solis hydriis, quae antiquitus deorum mensariorum loco essent, aut certe ollis imposito capite humano, jam imagunculae fingerentur in mensis adhibitae quae manibus tenerent vasa potoria ipsaque pocula. Constanter tamen in his ipsis diis retinuerunt veteres quae et priscus usus posceret et vero etiam religio. Hujus rei egregium monumentum servatum habemus illud lucu-

*) Argonaut. vers. 27.

lentum carmen Statii *) poëtae, quo ille Herculis epitrapezii nobile sigillum cecinit, quod in Vindicis apparatu erat. Unde ea tantummodo adscribemus, quae conjunctiora videbuntur cum nostro argumento:

„— — Deus ille Deus, seseque videndum
Indulsit, Lysippe, tibi, parvusque videri,
Sentirique ingens; et cum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit.“

Vides igitur Herculis icunculam, quem deum in Pataecis habitum antiquitus supra docuimus, eandemque vix pedem unum longam, quod et ipsum pedalium Pataecorum admonet. Quo et illud pertinet:

„Quis modus in dextrâ, quanta experientia docti
Artificis curis, pariter gestamina mensae
Fingere, et ingentes animo versare colossos?“

Pergit poëta:

„Nec torva effigies, epulisque aliena remissis,
Sed qualem parci domus admirata Molorchi
Aut Aleae lucis vidit Tegeae sacerdos.
Qualis et Oetaeis emissus in astra favillis
Nectar adhuc torva laetus Junone bibebat.
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur mensas. Tenet haec marcentia fratris
Pocula, adhuc saevae meminit manus altera caedis.“

*) Silvar. Lib. IV. carm. 6.

Atque de eodem sigillo similiter Martialis *) ita.

„Cujus laeva calet robore: dextrâ mero."

Extremis autem his graphice pingitur illud, quod in Euphradis appellatione inesse supra intelleximus, sicut inde etiam apparet id sigillum manu dextra gestasse poculum, laevae autem clavam infuisse.

Sed haec hactenus. Restat enim explicandum, quod nec minus ad consilium meum spectat, cur Γιγῶν, quem Pataecum et ἐπιτραπέζιον tradit Hesychius, eodem teste, pro Aegyptio Hercule habitus fuerit, sive, quod eodem redit, cur Hercules Pataecis diisque mensariis Aegyptiorum interpositus sit.

Haec ut intelligantur, primum omnium ejus terrae habenda ratio est, quam iste populus incolebat; unde efficitur illud alterum, quo modo idem sibi annuum solis cursum effinxerit. Quam in rem adscribam quae breviter quidem tamen utiliter monet Jablonskius **): „Sol enim Zodiacum percurrens, eoque diversas anni tempestates producens, varias inducere formas credebatur. In principio veris fingebatur apparere lucidus, ideoque Ammon cognominabatur. Et quia in Aegypto, jam tum sol, fruges terrae ad maturitatem perducendo, virtutem suam excellentem et omnium votis expetitam manifestam faciebat, idem appellabatur Hercules, cujus nomen Aegyptiacum proprie sonat, virtutem Dei, nempe solis. Mox ubi in solstitio aestivo, et secutis diebus, sol totam efficaciae suae vim

*) Epigramm. Lib. IX. 43.

**) In Panth. Aegypt. Lib. II. Cap. 6. p. 249. cf. Lib. II. Cap. 1—5.

persentiscendam praebet, Hori nomen in Aegypto accipiebat. Cum vero deinceps hujus efficaciae solis detrimenta successive insignia observarentur, post aequinoctium autumnale, sequebantur sacra Serapis. Restat igitur conversio solis, quae fit in solstitio hyberno, quo tempore sol terrae apparet novus." Quem ipsum Harpocratem dictum ab Aegyptiis fuisse idoneis argumentis confirmat. Hunc autem quali specie repraesentarint, tum e scriptoribus tum ex monumentis constat. Tradebant enim Isin ex Osiride, qui a morte cum ipsâ coiisset, exterricineum et inferioribus debilem membris filium peperisse, Harpocratem nomine *). Quod ipsum nominis nihil aliud quam claudicantem pedibus significare, ut proprie dicendus esset Φοκράτης ab Aegyptiaco Phoch-rat, extra omnem dubitationem posuerunt eruditi. **) Et quemadmodum pedum debilitate solis hiberni quasi segnitiem exilemque vigorem declaratum volebant, sic eandem rem aliter significabant eo, quod puerum fingebant Harpocratem digito labia comprimentem ***) calvumque ab altera parte capitis, cum contra Horum sive solis intentiorem efficaciam barbâ promissâ repraesentarent. De Serapide infra explicatius agetur. Veniamus ad Herculem.

*) Plutarch de Isid. et Osirid. Cap. 19. p. 470. Wyttenb.

**) Jablonski Voc. Aegypt. p. 38. Qui de hoc deo plura discere velit, consulat peculiarem Cuperi librum, qui Harpocrates inscribitur.

***) Cf. Tabulae primae fig. 3. Claudum autem et Vulcanum simili fere de caussa fingi, explicare non attinet.

Ac primum Plutarcho auctore constat creditum ab Aegyptiis Herculem in sole positum, una cum illo circumferri. Haec eadem refert Macrobius: „Praeterea, ait, sacrorum administrationes apud Aegyptios multiplici actu multiplicem dei asserunt potestatem, significantes, Herculem hunc esse *τὸν ἐν πᾶσι, καὶ διὰ παντων ἥλιον* *)." Praecipue tamen Somum sive Herculem pro sole vernali habebant, indeque Graecorum nonnulli eidem Heben juventutis deam adjunctam credebant. **) Jam cum Harpocrates solem in solstitio hiberno renovatum significaret, mirum non erat hos deos saepius inter se vel confundi, vel certe ita conjungi, ut paene pro iisdem essent. Inde in Eratosthenis catalogo regum Thebaicorum illud nominis legitur: *Σεμφουκράτης* idest *Ἡρακλῆς Ἁρποκράτης.* ***) Ac sicut Harpocrates inter salutares deos simul cum Iside habitus est apud Aegyptios †), ita ipsorum quoque Hercules secundae valetudinis largitor. Hoc quidem testatur Johannes Lydus loco notabili, quem adscribemus, tum quia ad nemine adhuc in hanc rem

*) Plutarch. de Isid. p. 506, Wyttenb. Macrob. Saturn. I. 20.

**) Joh. Diaconus ad Hesiod. Theogon. p. 1545. b. ed. Trincavell. adde Porphyr. ap. Euseb. Praepar. Evang. III. 11. Somi nomen explicat Jablonskius virtutem Deorum; Melcartum Phoenicum sic accipit Seldenus, I. p. 183 seqq., ut sit: rex praevalidus. De Hebe conferatur Joann. Lydus loco proxime citando.

***) Ap. Euseb. in Chronico Graeco p. 22.

†) Cuperus in Harpocrate, p. 158. Lydi locus legitur in libello de mensibus, Cap. IV. p. 92 seq.

advocatus est, tum vero etiam numorum caussâ, quibus inde lucis aliquid comparabimus:

τῇ πρὸ τριῶν νόννων ἀπριλλίων Ἡρακλῆς ἐπινίκιος ἐτιμᾶτο, οἷα ὑγείας δοτήρ. — Ἡρακλῆς δὲ ὁ χρόνος παρὰ τῷ Νικομάχῳ *) εἴρηται, ἀλλὰ μὴν καὶ ἥλιος, λέγοντι οὕτως· „Ἡρακλῆς μὲν ὢν ὁ τὴν περὶ τὸν ἀέρα κλάσιν **) τῇ τῶν ὡρῶν περιτροπῇ ποιούμενος, τουτέστιν ἥλιος." διὸ δὴ καὶ ἐν τοῖς τούτου μυστηρίοις τοὺς ἄῤῥενας γυναικείαις στολαῖς κοσμοῦσιν, ἅτε δὴ ἐξ ἀγριότητος τῆς κατὰ τὸν χειμῶνα ἀρχομένου τοῦ σπερματικοῦ τόκου θηλύνεσθαι· καὶ ταῦτα μὲν ἐν τῷ ἔαρι ἐτέλουν.

Quod Hercules a Nicomacho χρόνος esse dicitur, pertinet ad Orphica Aegyptiacaque sacra. Ita enim invocat eum Hymnorum Orphicorum poëta XII. 3.:

αἰολίμορφε, χρόνου πάτερ, — — ***).

Luculentus quoque hac de re locus est Nonni Dionysiac. XL. 369 seq. ubi ἀστροχίτων Ἡρακλῆς temporis filium annum (λυκάβαντα) continuo orbe volvere dicitur. Huc item pertinet Damascii †)

*) Dubium non est, quin haec ex ejusdem Nicomachi libro de Aegyptiorum festis diebus ducta sint, unde supra p. 25 locum ab Athenaeo servatum dedimus. Utitur autem illius testimonio aliquoties Lydus.

**) Merae etymologiarum nugae eodemque loco habendae quo istud Scholiastae Hesiod. Theogon. p. 136 ἀέρος κλέος Macrobiique, Saturn. I. 20. Ἥρας κλέος.

***) Quo in loco nunc quoque intelligi arbitror, cur Hercules εὔφρων dicatur.

†) Vid. J. C. Wolfii Anecdota graec. Tom. III. p. 254. De draconis naturâ loquitur ipse Lydus cap. 8. p. 44. — Theophrasti locus

testimonium in libro de principiis, qui ubi ex Orphicorum ratione enotavit opinionem de dracone, subjicit illud: ὀνομάσθαι δὲ χρόνον (ita legendum esse sequentia docent) ἀγήρατον, καὶ Ἡρακλέα τὸν αὐτόν. Draconis autem specie cur potissimum tempus infinitum declaraverint Aegyptii horumque sectatores Orphici, nunc quidem non quaero: illud velim ex his placitis teneri, quod facere videtur ad emendandum Theophrasti locum de quo diverssissima statui video. Eum multo pleniorem exhibet codex Vaticanus, cujus equidem vestigiis insistens eam totam sententiam sic refingi posse arbitror: καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐὰν μὲν Παρείαν, Σαβάδιον καλεῖν· ἐὰν δὲ ἄλλον, Ἀγήρῳ ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι, hoc sensu, ut δεισιδαίμων dicatur, sicubi serpentem conspexerit, continuo credere subesse aliquid divini, ita ut, si παρείαν viderit, Sabazium invocet, si alium quemlibet serpentem, Herculi, tanquam Tempori senectutis experti sacellum ponat. Atque plura eam conjecturam videntur confirmare. Orphicarum enim rerum amantem eum hominem fingi, docent sequentia de Orpheotelestis. Ἀγήρῳ autem facile potuit pronuntiationis similitudine confundi cum ἱερῷ, quae est codicis Vaticani lectio; ἄλλον insuper excidisse, mirum non est in eo loco, qui a librariis tam male habitus sit. Solent denique Orphici epitheta adhibere loco nominum *), ut ita Ἀγήρως plane adjungi possit τῷ Σαβαδίῳ.

est in Characteribus cap. XVI Eum nuper attigerunt Hottingerus in novo Museo Attico II. I. p 87 et vir doctus in Ephemerid. Halens. anni 1807. nro. 104. 105.

*) Quod intelligitur ex ipso Orphici hymno XLVIII, in Sabazium. — Ac quoniam semel in anguium notatione versamur, hoc unum addam

Sed, quod supra me facturum ostendi, adhibendus Lydi locus ad illustranda numismata est. Nimirum in ipsis numis Alexandrinis Hadriani, Antonini, Aurelii conspicitur Harpocrates stolatus et velatus, cum triplici flore in capite, dextram ori admovens, sinistrâ clavam gestans. Qua in re viris doctis clavae gestamen non minus negotii creavit, quam femineus habitus. Zoëga quidem in num. Aegypt. imper. probabiliter, ut alia ejus placita omittam, conjecerat, confusum esse cum Hercule apud Graecos Harpocratem, unde clavam hic ipse gerat, femineo autem habitu declarari sexum ejusdem, tanquam partus abortivi, ambiguum, ut adeo ipse inter ἀρσενοθήλεας referendus sit. Eckhelius contra *) cogita-

da tribus locis Ciceronis de Divinat. II. 28 in quibus, quae Hottingero placuerunt ea, maximam partem, egregie confirmat cod. noster. Hic enim ita: „qui quoddam ad eum retulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset: tum esset, inquit ostentum, si anguem vectis complacuisset (voluit conplicavisset, melius tamen circumplicavisset). Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portantum (ostentum a secunda manu), quod fieri posset." Altero autem loco cap. 29 idem exhibet: altera utram, retinens insuper: „insecuta Gracchum est" Recte hoc quidem. Tertius denique locus, cap. 31, sic habet in codice: „De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui: sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solario (contra I. 36 idem habet in Solonio) praesertim, ubi ad focum angues nundinari solent"

*) D. N. V. IV. p. 33. — Vocabulum stola, a glossatore intrusum loco Ciceronis Philipp. II. 18, cum, uno codice suadente, abigendum esse dudum vidissent eruditi, miror hodieque in textu comparare.

verat mulierem deam Angeronam, magnum Romae et arcana religione venerandum numen. At vero, postquam prolatus esset Marci Aurelii nummus Alexandrinus, cum epigraphe ΑΡΠΩΚΡΑΤΗΣ, suam ipse conjecturam abjiciens, nihil se habere confessus est, quo haec res expediretur; nec magis cum Zoëga facere voluit.

Nunc vero utramque rem, et clavam Harpocratis et ejusdem stolam, in clara luce collocatam vides his ipsis quae supra ex Lydo de Hercule Aegyptio protulimus, cujus etiam mysteria a viris celebrarentur muliebriter stolatis. Mysteria autem in illis nummis significari monstrat velamen, quo involutum stolatum Harpocratem iidem repraesentant. Quod ibidem Lydus ad eum ritum explicandum addit, cum locus iste lacunosus videatur esse, in medio relinquimus. Illud jam hoc testimonio constat, obtinuisse eum ritum apud veteres. Pergit autem l. l. Lydus: *τρία δὲ αὐτῷ μῆλα ἐν τῇ λαιᾷ ταῖν χεροῖν, τῆς χρόνου δι᾽ αὐτοῦ ἀναμερίσεως σύμβολον. μῆλον μὲν γὰρ διὰ τὴν πρὸς τὸν καιρὸν αὐτοῦ συμπάθειαν, ἀρχὴ δὲ χρόνου ἐαρινὴ τροπή. καὶ ἄλλως δὲ τρία, ὅτι τριμερὴς ὁ χρόνος.* Vides hoc loco mala Herculi adtribui ratione habita temporis. Cujus rei vestigia servantur in Graecorum fabellis de Hercule Μήλωνι ap. Pollucem I. 31 et Hesychium Suidamque s. v. Vides praeterea haec poma pro symbolo habita temporis per Herculem dissecti. Stoici denique, qui multa Orphica retinuerant, *τὸ πληκτικὸν καὶ διαιρετικὸν* docebant esse *Ἡρακλέα* *). Quae quidem mihi ad Orphicorum Argonauticorum versum 24 vel maxime videntur pertinere. Quo in loco quid alii tentarint, nunc non exponam: hoc attendi velim, quod plurimorum librorum auctoritas in illo pomorum symbolo Her-

*) Plutarch. de Isid. p. 505 Wyttenb.

culeo conspirat, bini autem ex illis exhibent lectionem καὶ Μήλϐ. Quocirca neque de Baccho cogitandum erat neque pomorum memoria delenda. Restituendus autem locus ita videtur esse, ut legas:

Καὶ μήλων Ἡρακλῆος περίφημον ἀμυξιν·

hoc sensu, ut poëta se Herculem cecinisse dicat nobilem sectorem temporis sive pomorum, quo nimirum symbolo dissectum ab Hercule tempus declaratum esse jam manifesto apparet. Fuerat itaque hoc ipsum poëma de anni tempestatibus, quod argumentum nemo ignorat tractatum esse ab antiquissimis poëtis. Quodsi tamen eo in loco praeferatur ceteris lectio εὐμήλϐ, nec ipsum alienum est ab Herculis personâ, qui, quod Lydi narratio docet, commode dici poterat εὔμηλος. Hoc si placeat, cogitandus est Hercules, tanquam sol cum Osiride confusus *); ut ille jam aeque atque hic laceratus dicatur. Probabilior tamen illa ratio.

Jam vero, ut redeamus unde discessimus, hic ipse deus, quatenus eum pro verno sole habebant, eatenus idem ἡ δύναμις τῆς φύσεως **) credebatur esse. Sic plane antiquorum poëmatum vestigia legens Herculem Tyrium fingit Nonnus, a quo is celebratur, quod imbrem fructuosum cieat, et calore suo segetes eliciat augeatque. Quî itaque factum sit, ut idem ille tanquam ἀπιτραπέζιος, sive quod eodem redit tanquam Pataecus a priscis coleretur, jam nemini cuiquam obscurum esse poterit;

*) Herculem atque Osiridem aliquo modo pro uno eodemque deo habitos monstravit Jablonski Panth. I. p. 191 seq.

**) Jamblich. vit. Pythagor. p. 189 Kust.

atque eo ipso loco, quem modo attigi, ubi ab Hercule Bacchum epulis exceptum facit, ita canit Nonnus *):

Καὶ μὲν ἐϋφραίνων φιλίῃ μείλιξε τραπέζῃ.

Quibus si reliquum ejus loci argumentum addideris, facile deus ille Euphrades in memoriam redit. Atque in eandem classem deorum referri debet Etruscorum Tages cum alias ob caussas tum praecipue etiam ob singularem speciem. De quo Cicero **) ita: „Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente, et eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentiâ.“ rel. Habemus rursus deum cum formâ simillimum Pataecis, quos supra vidimus, tum etiam ortu, utpote qui inter arandum ***) esset erutus, igiturque e terrâ progenitus et circa segetes versatus. Idemque augurii haruspicinaeque ab illo populo auctor existimatus est. Notum est enim

*) Dionysiac. XL. vers. 418.

**) De Divinat. II, 23. In sequentibus lectioni si daum — abdidarit patrocinatur nova codicis nostri auctoritas. De ea fabula vid. Ovid. Metam. XV. 553 Isidor. Origg. VIII. 9. p. 374 ed. Areval. Tagetis discipulus fuit Bacches, illius libri Acheruntii dicti, quos multi interpretati sunt. Horum στίχων excerpta Laurentius Lydus habet περὶ σεισμῶν p. 130 seqq. ed. Schow. Plures hujus fabulae auctores laudat Spangenberg de veteris Latii religionibus domest. p. 31.

***) Eum puerum exaratum vocat Cic. de Divin. II. 38. In loco II. 57 init. non addicit codex conjecturae Hottingeri, quam etiam Rathio placere video. Habet enim non post vocem Delphis, nec minus in sequentibus: „afflatus ex terrâ.“

hanc vim tributam fuisse terrenis numinibus, quod anhelitu terrae incitata mens oracula ederet. Ac sicut figurâ corporis curâque agresti Etruscus ille Tages Herculis Aegyptii geminus haberi debet, sic omnibus his rebus jungendus est deo illi Canobico, de quo uti supra diximus, ita infra dicemus. Esse autem hoc deorum genus pro antiquissimo habendum tum alia arguunt, tum quod Aegyptium Herculem priorem Tirynthio Delphos venisse Pausanias refert *). His vero, quae adhuc monuimus, in unum collectis hoc efficitur, in horum Pataecorum specie effingenda ita variasse priscos homines, ut eos nunc repraesentarent tanquam pueros obesos, exilitate pedum insigni, nunc eorum loco ollas haberent, sive solo capite humano addito, sive etiam pedibus exilioribus. Hoc quidem etiam factum esse, docet locus Rufini, quem saepius laudavimus, nec minus gemma apud Begerum in Thes. Brand. III. p. 308.

*) Phocic. cap. 13 p. 191 Fac. Idem oraculum profert, quo is ipse, qui a Pausaniâ Aegyptius vocatur Hercules, κανωβεύς dicitur. Et erat Herculis fanum finitimum templo Canobico, Strabo XVII. p. 1153 coll. Herodot. II. 113.

Ollarum vero usum in antiquissimis religionibus disertius etiam declarant ea, quae de Cabirorum sacris traduntur. In eum enim locum jam descendere libet, non ut singula ejus capita percurram, sed potius ut inde eligam, quidquid ad consilium nostrum spectare videatur. Ac primum locupletissimus testis Herodotus cum loco supra laudato (III, 37) Cabiros Vulcani filios dici referat, eosdem altero loco (II, 51) eodemque classico a Samothracibus cultos fuisse narrat. Unde hoc constat, ipso quidem judice has religiones Aegyptiis cum Samothracibus communes fuisse. Aegyptiacae easdem originis esse, ex eo videtur posse intelligi, quod Vulcani filii dicuntur. „Nam ex Vulcano, vel, uti eum Aegyptii apellabant, Phtha, Deos reliquos omnes, interque hos majores praesertim prodiisse, dogma erat Theologiae Aegyptiorum canae atque genuinae *).“ Erant enim Cabiri dii magni, dii potentes **); quam ipsam vim orientali hujus vocabuli etymo inesse plurimorum doctorum fert sententia. Quod vero Herodotus l. l. dicit: τοῦ Ἡφαίστου δὲ σφεας παῖδας λέγουσιν εἶναι, eam famam et alii videntur secuti, et

*) Quae sunt ipsa verba Jablonskii Prolegg. ad Panth. LX conf. eundem librum I. 2 §. 10 II. 3 §. 8.

**) Dii potes dicti in augurum Romanorum libris.

vero etiam Pherecydes Lerius, loco primario apud Strabonem *), praeterquam quod hic rerum scriptor matrem etiam addit Cabiram. Haec quidem posterior sententia licet merae sive Phoenicii sive Aegyptii sermonis ignorantiae debeatur (quam graeci homines ejusmodi interpretationibus simulare studebant) tamen eadem suos sectatores nacta est, in his Nonnum, qui cum alibi **) Vulcanum illorum patrem tradat, luculentiore loco ***) eorundem natales ita pandit: —

Υἱέας Ἡφαίστοιο δύω θώρηξε Καβείρους
Οὔνομα μητρὸς ἔχοντας ὁμόγνιον. οὓς πάρος ἄμφω
Οὐρανίῳ χαλκῆϊ τέκε Θρήϊσσα Καβείρῳ.

Pluribus autem veterum locis Cabirorum mentio obscurata est librariorum culpâ. E quibus nunc unum in medium proferemus, .

*) Lib. X. p. 724 Almel. (p. 209 Tzschuckii) quem Pherecydeis inseruit diligentissimus Sturzius p. 152, ubi utilissime excerpta legas, quae plurima a viris doctis in eam rem disputata sunt. Quibus hominibus postea accesserunt praestantes duumviri Sanctacrucius (M. de Saintecroix) sur la religion secr. des anc. Sect II. cap. 1—5 et Zoëga de Obeliscis p. 220, ubi Cabirorum singulorum nomina ex Aegyptio sermone repetita vides; conf. Ejusdem Bassirilievi antich. d. Roma part. I. pag. 7.

**) Dionysiac. XXIV. 93. XXIX. 195.

***) XIV. 19—22. Horum versuum extrema vox adhuc eodem in vitio est, quod in Strabone dudum sustulerunt critici. Sicuti enim ibi binis locis multi libri perperam Καβείρῳ exhibebant, pro Καβείρης, sic Nonno restituenda est Καβείρῃ. Neque igitur hic poëta putandus est, quod voluit Sturzius l. l. p. 155, Vulcanum ipsum in Cabirorum numero posuisse.

qui ad ipsius Bacchi origines pertinet Ciceronis *). Ita enim ille: „Dionysos multos habemus: primum e (praepositio deest in quatuor codd. meis) Jove et Proserpinâ natum: secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: tertium Caprio [Capro Guelferb. et Uffenb. Capio unus e Pariss. **)] eumque regem Asiae praefuisse dicunt; cui Sabazia (aliam eas Paris. C, Abaxea B, Abazea A, Abarea Norimberg. A, et Uffenb.) sunt instituta." Ejus loci reliqua alias tractabimus nunc de Cabiris videamus. Horum autem ibi vestigia se deprehendisse arbitratus Jacobus Gronovius, temeritatis accusatus est a Davisio. Frustra. Etenim Joannes Laurentius, quem eosdem cum Cicerone auctores secutum omnia arguunt, in utilissimo libello de mensibus p. 82 plane ita habet: κατὰ δὲ τὲς ποιητὰς Διόνυσοι πέντε, πρῶτος Διὸς καὶ Λυσιθέας· δεύτερος ὁ Νείλȣ ***) ὁ καὶ βασιλεύσας Λιβύης καὶ Αἰθιοπίας καὶ Ἀραβίας. τρίτος Καβίρȣ παῖς, ὅστις τῆς . . . . . ἐβασίλευσεν, ἀφ' ȣ ἡ Καβιρικὴ τελετή. κ. τ. λ. Unde jam utrinque medemur Ciceroni, tum eo, quod Cabiro restituimus, tum quod Cabiria ponimus pro Sabaziis. Atque Sabaziorum mentionem in Cicerone neque Gronovium h. l. nec Ernestinm male habuisse, qui tamen Cabiro conjecissent, vel maxime mirum accidit. Nunc autem nec de hac

*) De Nat. Deor. III. 23.

**) Trium codicum Parisiensium, nondum collatorum, excerpta equidem debeo liberalitati viri doctissimi mihique amicissimi de Savigny, qui Juris civilis prudentiam cum literis nostris felicissime conjungit.

***) Ex emendatione Schowii. Caeterum Lydus de Nysâ nihil, quod nunc non morabimur. Quae sequitur lacuna eam facile explens Ciceronis auxilio: ὅσις τῆς Ἀσίας ἐβασίλευσεν, nisi forte plura exciderunt,

mutatione dubitationis posse quidquam relinqui, et Laurentii docet testimonium et vero binorum codicum meorum *) indicium. Jam vero quaerere licet, an in Lydo corrigendum sit Καβείρυ et Καβειρική. Quod quidem utique faciendum videbitur ei, qui librorum tantum, sive manu scriptorum, sive inpressorum, auctoritatem sequatur, qui, quantum equidem scio, constanter diphthongum retinent. Tu vero cave quidquam tentaveris in eo scriptore, quem jam supra in alius nominis scriptione a communi consuetudine abire vidimus. Utramque autem rationem apud veteres obtinuisse arguunt numismata, praesertim Helleno-phoenicum, in quibus saepisime: ΚΑΒΙΡΩ et ΚΑΒΙΡΩΝ, cum alia ΚΑΒΕΙΡΩΝ exhibeant **).

Quodsi quaeris, quinam a veteribus dii in Cabiris sive potentibus habiti fuerint, en rursus nos in Aegyptum revocat Varro de Ling. Lat. IV. §. 10 loco hac de re primario: „Principes dei, coelum et terra: hi dei iidem qui in Aegypto Serapis et Isis et st Harpocrates digito significat ***); qui sunt

*) Abarea exhibentium.

**) Exemplorum lucem si quaeris vid. Eckhelii D. N. V. III. p. 374.

***) Sic emendavit e vet. cod. Josephus Scaliger qui ad h. l. ita: „Non tamen hic Varro Harpocratis injecit mentionem, tanquam tertii dei, cum satis esset Serapis atque Isis: ut alterum eundem cum Saturno, alteram eandem cum Iside faceret.“ Tum suspicatur esse haec poëtae forsan Lucilii verba, qui horum trium simul mentionem faciens ita scripserit:

— Sanctu Serapis
Isis et Harpocrates, digito qui significat st.

Sigalionem autem addit ab Ausonio Harpocratem dici.

Taantes et Astarte apud Phoenicas, ut idem (iidem Graevius not. mscr.) principes in Latio Saturnus et Ops. Terra enim et coelum, ut Samothracum initia docent, sunt dei magni, et hi quos dixi multis nominibus. Nam neque quas Ambraciâ (leg. Imbrasia cum Scalig.) ante portas statuit duas virileis species aheneas, dei magni, neque, ut volgus putat, hi Samothraces dii, qui Castor et Pollux: sed hi mas et femina; et hi quos augurum libri scriptos habent sic, Divi potes: et sunt pro illeis qui in Samothrace *) θεοὶ δυνατοί. Haec duo coelum et terra: quod anima et corpus, humidum et frigidum." Quo in loco quae contra diverse sentientes disputat Varro omittamus, retineamus primariam sententiam, quae ita fert, ut sub ipsa religionum primordia prisci homines duo tantummodo numina agnoverint, alterum masculum, femineum alterum, quibus omnia sua adeoque vitam ipsam accepta referrent. Atque in eandem fere mentem de diis Romanorum Penatibus disserit Macrobius, qui laudatis Nigidii Corneliique Labeonis de hac re testimoniis ita pergit: „Varro, humanarum secundo, Dardanum refert deos penates ex Samothrace in Phrygiam et Aeneam ex Phrygia in Italiam detulisse. Qui sint autem dii penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit. Sed qui diligentius eruunt veritatem, penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus,

*) Scaliger conjicit: pro illo quod Samothraces. Ad Varronis autem sententiam accommodata leguntur de Aegyptiis apud Horum Apollinem I. 13 (coll. 12), sed ille quidem locus nunc non integer habetur. Macrobii locus legitur Saturnal. III. 4. De diis Romanorum penatibus consulendus est Heynii excursus IX ad Virgil. Aeneid. II.

per quos rationem animi possidemus. Esse autem medium aethera Jovem, Junonem vero imum aëra cum terra et Minervam summum aetheris cacumen, et argumento utuntur, quod Tarquinius Demarathi Corinthii filius, Samothraciis religionibus mystice imbutus, uno templo ac sub eodem tecto numina memorata conjungit. Cassius vero Hemina dicit, Samothracas deos, eosdemque Romanorum penates, proprie dici θεὺς μεγάλυς." Sequuntur Virgilii loca, in his ille *) de Baccho

„Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Juno."

Denique Vestam dicit „de numero penatum, aut certe comitem eorum esse" laudato loco ejusdem poëtae **).

„Sacra suosque tibi commendat Troja Penates: —
Sic ait: et manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem."

Haec tamen ipsa jam satis docere unumquemque possunt, simulatque ea magnorum deorum sacra ex Aegypto delata essent ad alias nationes, mature deflexum esse a simplicissima ratione, quae solum coelum terramque agnosceret. Indeque factum est, ut cum numero aucto nomina quoque variarentur, jamque, ut deas taceam, nunc Bacchus cum Hade, (ut Graeca voce utar) nunc Mercurius in Cabirorum numero ponerentur. Quae Bacchum inter atque Haden rursusque illum inter et Mercurium intercedat necessitudo, ea res infra ipsorum Aegyptiorum monumentorum ope a nobis aperietur.

Jam enim de specie videndum est, quâ Cabiros suos prisci repraesentatos volebant. In eam autem rem classica censeri debet

*) Aeneid. I, 736.

**) Aeneid. II, 293, 297 seq.

narratio Dionysii Halicarnassensis *) de diis penatibus Romanorum; quam ipsam loco supra adscripto carptim attigisse videtur Macrobius. Ille enim copiose explicare instituit Penatium deorum religiones sacrorumque ab Aeneâ in Italiam adlatorum origines. Haec sacra idem pro iisdem habet cum simulacris magnorum deorum, quos Samothraces colant, addito praeterea Palladio quod simul cum perpetuo igne in Vestae aede a Virginibus servetur. In quibus rebus explicandis Callistratum de Samothraciâ itemque Satyrum Arctinumque poëtam in partes advocat. Nos jam subsistamus in iis, quae idem profert e Timaeo rerum scriptore **):

σχήματος δὲ καὶ μορφῆς αὐτῶν πέρι Τίμαιος *μὲν ὁ συγγραφεὺς ὧδε ἀποφαίνεται· κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ, καὶ κέραμον Τρωϊκὸν εἶναι, τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις τοῖς ἐν Λαουϊνίῳ κείμενα ἱερά· πυθέσθαι δὲ αὐτὸς ταῦτα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων· ἐγὼ δὲ ὅσα μὲν ὁρᾷν ἅπασιν οὐ θέμις, ὅτε παρὰ τῶν ὁρώντων ἀκέειν, ὅδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν· νεμεσῶ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι πλείω τῶν συγχωρεμένων ὑπὸ νόμε ζητεῖν ἢ γινώσκειν ἀξιῶσιν.* Quibus continuo subjicit Dionysius quae narrare non vetarit religio de simulacris Troicorum deorum positis Romae in templo ad carinas obscuro angustoque; quae sic ab eo describuntur: *νεανίαι δύο καθήμενοι δόρατα διειληφότες* similiterque, addit, in omnibus, quaecunque viderit, templis apparere juvenes duo militari habitu.

Jam vero si quaeris quid sibi velit illud: *κηρύκια — καὶ κέραμον Τρωϊκόν*, non erat, quod h. l. sive de hastis sive etiam de

*) Antiqq. Rom. lib. I. cap. 67—69.

**) Cap. 67 fin. p. 170 ed. Reisk.

Fetissis *), quos hodie dicere solent, cogitaretur. Neque enim ex hodiernorum populorum usu, sed ex antiquorum symbolis haec repetenda sunt. Atque in *κηρυκείοις* (variant enim in eo vocabulo scribendo libri) primariam inesse significationem anguium, infra a nobis confirmabitur, ubi ad Serapidis Canobique tesseras revertemur. Nunc quidem audiamus solos Graecorum grammaticos, qui *κηρύκιον* explicant *ξύλον ὀρθὸν, ἔχον ἑκατέρωθεν δύο ὄφεις περιπεπλεγμένους κ. τ. λ.* **) Illud vero *κέραμος* jam nihil aliud significat nisi ollam sive hydriam. Quod ut ita sentiam, facit primum ipse Homerus, qui ita:

πολλὸν δ' ἐκ κεράμων μέθυ πίνετο τοῖο γέροντος.

ubi diserte Eustathius: *κέραμος δὲ, ἡ λάγυνος, ἡ πίθος.* Quid multa? Videmus enim *κέραμον* pro testâ seu vase vinario adhibitum ab Homero. Atque de vase seu ollâ accipiendus quoque Dionysii locus est ***) Mensaria quoque vasa hoc nomine appellantur apud Athenaeum †), ubi sic de Cleo-

*) Qualia conjicere video *Spangenbergium* de vett. Latii religg. domm. p. 11.

**) Scholiast. Thucydid. I. 53. Gemina habet Suidas, coll. Pollux VIII. 138. — Homeri locus est Iliad. IX. 465 (469), Eustathii pag. 669 ed. Basil. cf. Heynii Observv. ad Homer. Iliad V. 387. ibiq. Apollonii locus in Lex. Homer.

***) Quanquam nec illud spernendum, quod placuit Baudelotio. Is enim lucernam explicavit. Hoc si sumas, adjectis *κηρυκίοις*, tanquam Hermetis symbolis, rursus exoritur *Ἑρμοῦ* quidam *λύχνος*. Hoc tamen loco ollam praeferendam esse continuo docebimus.

†) Lib. VI. 15 p. 381 Schw. cf. Lib. IV. cap. 29 adde Hesych. sub *κέραμος*.

patrâ Aegypti reginâ: Μέχρι γὰρ τῶν Μακεδονικῶν χρόνων κεραμέοις σκεύεσιν οἱ δειπνοῦντες διηκονοῦντο —. μεταβαλόντων δ᾽ ἐπὶ τὸ πολυτελέστερον Ῥωμαίων τὴν δίαιταν, κατὰ μίμησιν ἐκδιαιτηθεῖσα Κλεοπατρα, ἡ τὴν Αἰγύπτου καταλύσασα βασιλείαν, τοὔνομα οὐ δυναμένη ἀλλάξαι, ἀργυροῦν καὶ χρυσοῦν ἀπεκάλει κέραμον. Quo de loco liceat paullulum disserere. Ac primum hic ipse in memoriam revocat illa χρυσί᾽ ἄπεφθα apud Suidam, quae supra illustravimus. Haec si teneas, simulque quae Hesychius in εὐφράδης de pataecis diis refert, jam facile intelligi arbitror, quî fiat, ut Cleopatra dicatur horum vasorum figlinorum nomen immutare non potuisse. Videmus enim reginam Aegypti, cum reapse simplicitatem patriam eluderet, in usurpandis tamen nominibus coercitam patriâ religione. Haec enim religio in sacris tesseris monstrabat deos mensarios ollari specie, adeoque, ut ante declaravi, postea magis etiam firmaturus, ipsos urceos eosque figlinos deorum loco. — Quae ipsa symbola ad Cabiros pertinuisse cum alia docent, tum classicus locus Vitruvii *): „Qui sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, ostendunt, omnes res e liquoris potestate consistere. Itaque cum hydriam tegunt, quae ad templum aedemque castâ religione defertur, tunc in terrâ procumbentes manibus ad coelum sublatis, inventionibus gratias agunt divinae benignitatis." Consimilis ritus obtinebat in Eleusiniis **), quandoquidem ea peragentes sacerdotes duas hydrias effundebant, alteram orientem versus alterum versus occasum. Quod dum faciebant, nunc ad coelum

*) Praef. ad L. VIII.

**) Athen. XI. p. 496. Pollux X. 10. 74.

erigebant oculos nunc, eosdem in terrâ defigebant quoniam utrinque rerum omnium origines ducerentur *). Ac quum Hades sive Pluto in Cabiris haberetur, mirum non est, in hujus quoque dei notatione vasorum symbola quaeri. Unde etiam etymologiarum enata materia est. Quas uti non pro veris volumus venditari, ita eaedem demonstrant copulatam antiquitus fuisse Plutonis omnia recipientis notionem cum tesserâ hydriarum. In eam sententiam sic Isidorus **): „Pluton graece, latine Diespiter,

*) Proclus in Platonis Tim. p. 293.

**) Origin. Lib. VIII. 11. 42. p. 383. ed. Areval. cf. Lactant. div. Inst. Augustin de civ. dei. VII. 3. Varro Ling. L. IV. p. 19 ed. Scaligeri, ad quem Scaliger p. 181 Menandri versus profert, quo intelligatur ipsis graecis ὅρκον fuisse conditorium mortuorum, atque a graeco vocabulo dictum fuisse Romanorum Orcum. Huc iterum facit Dionysius noster, loco supra laud. Ponit enim in graecis Penatium interpretationibus illas: εἰσὶ δ' οἱ Κτησίους, ἄλλοι δὲ Μυχίους, οἱ δὲ Ἑρκίους. Quae lucem accipiunt e Cicerone de N. D. II. 27. „Nec longe absunt ab hac vi Dî Penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines penus) sive ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam penetrales a poëtis vocantur." In quibus illa de penu dicta spectant ad graecum Κτησίους: penitus autem pertinet ad Ἑρκίους, cum ab etymo ἔργω, (ἕρκω) non minus ἕρκος proficiscatur, quam ὅρκος. Sic enim accepit Dionysii verba Sylburgius. Quodsi tamen cogites illud Romanorum Jurisconsultorum herciscare familiam, quod item ducitur ab ἕρκος, sed ita, ut hoc jam septum pastoritium aulamque significet, vid. Ernesti Cl. Cic. s. v.: id ipsum ἕρκιοι ad penum trahi poterit et divitias, quas omnes in pecoribus habebant veteres. Hoc si placuerit, μύχιοι soli habandi erunt pro diis penetralibus. Orcum autem, ut illuc redeam, pro Plutone dici, loquitur ipse Cicero loco ejusdem libri altero III. 17, ubi plura dabit

vel Ditis pater, quem alii Orcum vocant, quasi receptorem mortium. Unde et orca nuncupatur vas, quod recipit aquas. Ipse et graece Charon."

Satis diximus de scriptoribus. Jam numismata circumspiciamus. Quae quidem eam rem egregie confirmant. Nimirum in numis Thessalonicensium Macedoniae, cum autonomis, tum imperatoriis, in quibus illud ΚΑΒΕΙΡΟΣ vel ΚΑΒΙΡΟΣ neque minus ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ frequentatur, ita variari solet, ut nunc Cabirus appareat deus curto amiculo, et id genus alia, nunc vero urna, prominente palmae ramo *). Atque ita non scriptorum solum constans testimonium sed numismatum quoque fides in eodem Cabirorum symbolo conspirare videtur.

Davisius. Cujus viri conjecturae, qua censet legendum esse: „ne Orcus quidem deus igitur" jam nova accedit auctoritas Codicis Uff. qui et ipse habet dr., unde compendio scribendi male explicato ortum est dicitur.

*) Pellerin apud Eckhelium D. N. V. II. p. 77—79. coll. IV. p. 437.

Sed ut jam in hoc deorum genere alia nomina officiaque, symbola alia spectemus, ex Macedoniae partibus revocanda est oratio nostra in ipsam Samothraciam ad eaque, quae

„— Lemni
Nocturno aditu occulta coluntur,
Silvestribus saepibus densa."

Notum est autem θεοὺς μεγάλους Samothracum, sive Cabiros, jam diu ante quam Tyndaridae nascerentur et dictos fuisse Διοσκούρους et existimatos, docente Tiberio Hemsterhusio ad Luciani Dialogos Deorum, t. II. p. 336 Bip., atque idem vir summus l. l. suspicatur: eosdem cum Cabiris, Corybantibus, θεοῖς μεγάλοις Samothracibus fuisse Tritopatoras. In eam rem primarius est locus Ciceronis in eo scripto, quod saepe citamus, de N. D. III. 21, quem adjiciam cum disputationis nostrae caussâ, tum vero etiam ipsius Ciceronis:

„Διόσκουροι etiam apud Grajos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces *), Athenis ex Jove rege antiquissimo (ex rege Jove cod. Norimb. A, Paris. A. et C.)

*) Hanc lectionem tuetur Ernesti, laudato Piersono ad Moer. p. 77. Horum sententiae jam firmamentum paratur tribus codicibus Parisiensibus, quorum excerptis utor, cum ceteri omnes Anactes exhibeant.

et Proserpinâ nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysius (leg. cum Davisio Dionysus i. e. Iacchus): secundi, Jove tertio nati ex Ledâ (et ex, cod. Uff.) Castor et Pollux: tertii dicuntur a nonnullis Alco et Melampus, Emolus, (Paris. A. Oviolus, Norimb. A. Omolus) Atrei filii, qui Pelope natus fuit." Hoc loco insignis eorum, qui adhuc hos libros tractarunt, negligentia praetermisit egregiam emendationem Hemsterhusii, qui illa sic distinguenda legendaque esse suspicatus est: „Primi tres, qui appellantur Anaces Athenis, ex Jove Rege antiquissimo et Proserpina nati, Tritopatres (vel Tritopatores) Zagreus, Eubuleus, Dionysus." Nempe talia parum cordi sunt iis, qui in Germaniâ, jubentibus bibliopolis, adducti lucri libidine, in veterum libros, tumultuari operâ a se edendos, infausto bonis literis impetu certatim involant. Illa vero viri magni suspicio adhuc solis Suidae Etymologique locis firmata, nunc etiam quodammodo commendari videtur codicibus meis, qui, licet non prorsus addicant, satis tamen docent, varie turbatum in hoc loco esse. Etenim a Paris. C. verba: „nati — tertio" absunt, quae eadem Codex Ottobonianus *) in marginem rejecit, Norimbergensis denique primus vocem Tritopatreus in trina vocabula discerptam exhibet. Satis de Cicerone: Suidam consulamus reliquosque grammaticos, qui haec, magnam partem, Orphica ex Atticarum rerum scriptoribus servarunt. Ita autem ille:

Δήμων ἐν τῇ Ἀτθίδι φησὶν ἀνέμȣς εἶναι τȣ̀ς τριτοπάτορας. Φιλόχορος δὲ τȣ̀ς τριτοπάτρεις πάντων γεγονέναι πρώτȣς. τὴν μὲν

*) Nr. 1944 membranaceus, quem nuper admodum Romae meâ caussa cum Juntinâ editione contulit Welkerus vir intelligentissimus meique studiosissimus.

γὰρ γῆν καὶ τὸν ἥλιόν φησιν, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα καλεῖ, γονεῖς αὐτῶν ἠπίσταντο τότε οἱ ἄνθρωποι. τοὺς δὲ ἐκ τούτων τρίτους πατέρας. Φανόδημος δὲ ἐν ἕκτῳ φησὶν ὅτι μόνοι οἱ Ἀθηναῖοι θύουσί τε καὶ εὔχονται αὐτοῖς ὑπὲρ γενέσεως παίδων, ὅταν γαμεῖν μέλλωσιν. ἐν δὲ Ὀρφέως Φυσικῷ (Φυσικοῖς Photius Lex. mscr.) ὀνομάζεσθαι τοὺς τριτοπάτορας Ἀμαλκείδην καὶ Πρωτοκλέα καὶ Πρωτοκλέοντα, θυρωροὺς καὶ φύλακας ὄντας τῶν ἀνέμων. ὁ δὲ τὸ ἐξηγητικὸν ποιήσας Οὐρανοῦ καὶ Γῆς φησὶν αὐτοὺς εἶναι παῖδας, ὀνόματα δὲ αὐτοῖς Κόττον, Βριάρεων καὶ Γύγην. Eadem habet Photius Lex. mscr. et paullo brevius Etymol. magn. s. v. *)

Jam hos auctores secuti dicemus primum de Dioscurorum Tritopatorumque significatu et muneribus, unde veniemus ad simulacra et speciem. Atque sicut Demon illos pro ventis habuit, ita is, qui Orphei physica erat interpretatus, pro Coeli Terraeque filiis. His lux affunditur loco Varronis, docentis, principes deos esse coelum et terram, quos ipsos in Aegypto Serapin Isinque dicant, in Samothraciâ deos magnos. Nec minus huc faciunt, quae apud veteres cum poëtas tum prosaicos, itemque in nummis exstant Isidis Phariae indicia. Quam in rem liceat paullum disserere. Est enim apud Eusebium **) Apollinis Didymaei oraculum, in quo illud:

> Ἴσιδι δ' αὖ Φαρίῃ γονίμοις παρὰ χεύμασι Νείλου
> Μαστεύειν ὅστρεισιν ἑὸν πόσιν ἁβρὸν Ὄσιριν.

*) Vid. doctissimum Hermannum ad Orphica pag. 501. coll. Addendis pag. XXV. ubi etiam de variante lectione monitum.

**) Praeparat. Evangel. V. 7.

Statius porro Silvar. III. 2. 101 similiter:

„Isi! Phoroneis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppim Mareotida sistro *)."

Atque in numis eandem deam nunc adstantem videas turri Pharo, quae navigantibus felix **), nunc vela tenentem, ob id ipsum maris imperium, nunc etiam cum sistro ***). Quae res in vulgus nota est. Illud ambigitur an Ceres quoque dicatur Pharia. Tertullianus quidem in Apologet. cap. 16 ita: „Quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica vel Ceres Farrea, quae sine effigie, rudi palo et informi ligno prostant;" ubi Lipsius de cruce pag. 9, ed. Antverp., Isin spectans, quae a Graecis cum Cerere confusa, legendum suspicatur: Ceres Pharia sive Faria, et probatur haec conjectura tum Puteani codice tum optimo Fuldensi. Zoëga contra de obelisc. p. 227 mutavit: Rharia, a campo Rhario, celebrato in fabulis Atticis, cujus mentionem Homerico Hymno in Cer. 450 feliciter restituit Ruhnkenius. Posse itaque Cererem dici Rhariam nemo infitiabitur, sed a Tertulliano l. l. et ad nation. I. 12 Rhariam scriptum esse equidem nondum adducor ut credam. Nam si Rhariam significatam

*) Ubi cf. Barthius. adde ejus Adversarior. lib. XXXVII. cap. 17.

**) Eckh. D. N. V. IV. p. 32 cf. VIII. p. 140. Zoëga num. imper. p. 108. 135. 188.

***) In numo Juliani imperatoris cum epigrapha: Isis Faria (Φάρια in graecis) quem numum exhibet Ez. Spanheim in Remarq. sur les Césars de Julien Nr. XI.

voluisset Tertulianus, dixisset utique: „Attica et Pallas et Ceres," quandoquidem Rharius campus et ipse Atticus est. In illa autem verborum structurâ exspectantur loca majore intervallo disjuncta, non conjuncta inter sese. Minucius quoque Felix in Octavio Cap. XXI p. 123 ed. Lindner Isidem Phariam jungit Cereri Eleusinae, et credibile est a Graecis Aegyptum incolentibus Cererem Phariam dictam esse, quae proprie Isis dicenda esset, Atticam autem Cererem a nobilissimo ejus orae fano Eleusinam vulgo appellatam fuisse. Recte contra Burmannus Valerio Flacco Argonaut. IV. 417, in loco de Jo, quae et ipsa pro Iside habita est, e veteribus libris restituit poli pro Phari. Haec hactenus. In eandem vero mentem Lucianus Dialog. Deor. I. 188 ab Iside narrat ventos missos navigantesque servatos. Quae cum ita sint, apparet e diis magnis eam, quae proprie terra erat, mari imperare et navigationi praeesse. Et similia traduntur de Serapide tanquam σωτῆρι. Easdem partes servatrices Tyndaridis assignat Euripides in Electra. 991.

„— Ὃι (δὲ) φλογερὰν αἰθέρ' ἐν ἄστροις
Ναίουσι, βροτῶν ἐν ἁλὸς ῥοθίοις
Τιμὰς σωτῆρας (σωτῆρες em. Wesseling. Observv. p. 216)
ἔχοντες.

Eodem sensu a Nonno Dionys. XXVIII. 255 dicitur γαληναῖος Πολυδεύκης. Qua de re qui plura velit, adeat Euripidis interprett. ad Helenam 1660.

Atque in navium, praesertim Aegyptiarum, nominibus apud veteres non solum Isis occurit atque Serapis sed etiam Castor. Διοσκούρων vero nomen et παράσημον gerebat illa navis Alexandrina

qua Paulus Apostolus Melitâ Syracusas vectus est *). Praeterea in numismatibus earum regionum, quo Cabirorum, notitia pervenerat, non Dioscurorum modo, sed etiam Serapidis indicia habentur, vid. Eckhelium, ex mente Wisii disputantem de numis autonomis Istri Moesiae inferioris, in quibus et Serapis eques, et bina capita juvenilia in diversum spectantia **).

Sicut autem maris aquarumque imperium et Dioscuris et Serapidi tributum vidimus, ita huic non minus quam illis ignea vis et potestas inesse creditum est. De Dioscuris satis est unum legisse locum Euripidis, modo a me adscriptum, neque enim pluribus opus in re notissimâ: de Serapidis autem rebus infra explicatius agam. Jam in ritibus Romanorum nuptialibus hoc obtinuisse constat, ut aqua et ignis jungendo matrimonio adhiberetur. Cujus rei caussam profert Festus ***), conjunctissimam cum Cabirorum religionibus. Ita enim ille: „Aqua et igni inter-

*) Actor. XXVIII. 11. cf. Ruhnkenii Dissert de Tutel. et Insign. nav. Opuscull. p. 302 seq. unde emendanda sunt, quae habet Grotius ad Actor. l. l. Stanley ad Aeschyl Sept. adv. Theb. 214. De Iside in navium nominibus vid. Ruhnk. l. l. p. 269. Serapidem Gregorio reddidit idem p. 271.

**) D. N. V. II. 15 seq.

***) In Aqua cf. Idem in Facem. add. Scaevola L. penult. §. 1. de donat. inter virum et uxorem. Haec et alia congessit diligentissimus Grupenius de uxore Romanâ p. 136 seqq. Poëtis ea aqua dicitur unda jugalis. Ac quoniam in hydriis explicendis versamur, teneamus in hac re usurpatam vocem aqualis a Varrone ap. Servium ad Aeneid. IV. et de L. L. IV. 25.

dici solet, quam accipiunt Nuptae: videlicet, quia hae duae res humanam vitam maxime continent." Itaque cum eas res in nuptiarum ritu usurpatas legimus, quibus, quoniam iisdem vita contineretur, ii dii praeessent, qui primigenii sive magni atque potes dicerentur, in his ipse quoque Serapis: mirabimur si ejusdem simulacrum nomenque in veterum monumentis junctum reperiemus ipsi nuptiarum notationi? Atqui eam rem in ipsis Alexandriae numis parum intellexit Pellerinius, qui cum in Vespasiani monetâ Serapin sedentem offendisset, adjecta epigraphe ETΓAMIA, continuo festa effinxit, quae Plutoni et Proserpinae sacra alias Θεογάμια dicerentur. Cui rei cum non assentiretur Eckhelius, tamen idem vir doctus in hac caussâ judicanda haud parum dubitavit titubavitque. De quâ ipsâ nunc confidentius pronuntiare mihi videor posse, si in memoriam revocavero, quae de Cabiris atque de Serapide posui, et vero praecipue illud, quod apud Suidâm de Tritopatoribus narrat Atticarum rerum scriptor Phanodemus: sacra votaque iis esse facta ab Atheniensibus, cum in eo essent, ut matrimonium inirent *).

Jam si in speciem inquiris, qua Dioscuros sibi finxerint prisci, quamque in eâ significationem latere crediderint iidem, primarius ea de re locus exstat apud Sextum Empiricum advers. Matth. IX. p. 557 seq. Fabric., qui sic habet: Καὶ τὰς

*) Quod enim dicit μόνοι οἱ Ἀθηναῖοι, aut erravit Phanodemus, aut, quod potius crediderim, qui ejus verba lacunosa exhibent grammatici; quorum quidem consensus me ita movit, ut nihil tentarem. — Pellerinii locus est in libro, cui titulus Recueil III. p. XXXI. cf. Eckhelii D. N. V. IV. p. 29. 442.

Τυνδαρίδας δὲ φασι τὴν τῶν Διοσκέρων δόξαν ὑπελθεῖν, πάλαι *) νομιζομένων εἶναι Θεῶν: τὰ γὰρ δύο ἡμισφαίρια, τό, τε ὑπὲρ γῆν καὶ τὸ ὑπὸ γῆν, Διοσκέρες οἱ σοφοὶ τῶν τότε ἀνθρώπων ἔλεγον· διὸ καὶ ὁ ποιητὴς (Ὀδυσσ. λ. 302) τῦτο αἰνιττόμενος, φησὶν ἐπ᾽ αὐτῶν,

ἄλλοτε μὲν ζώεσ᾽ ἑτερήμεροι· ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
τεθνᾶσιν, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.

πίλες τ᾽ ἐπιτιθέασιν αὐτοῖς, καὶ ἐπὶ τύτοις ἀςέρας, αἰνισσόμενοι τὴν τῶν ἡμισφαιρίων κατασκευήν. Homeri locum exhibet etiam Scholiastes Pindari ad illa: Nem. X. 103:

Μεταμειβόμενοι δ᾽ ἐναλ —
λὰξ, ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ
Διὶ νέμονται, τὰν δ᾽ ὑπὸ κεύθεσι γαί —
ας — —

Ac dici vix potest, quam multa apud veteres legantur de illâ Dioscurorum et ἑτερημερίᾳ et pileis. Nos primaria eligamus praesertim Orphica. Etenim cum Graecorum vulgus, praeeuntibus poëtis, e pileorum formâ, quam cum ovo comparabant, itemque alternis illis vitae vicibus tritam fabulam de Ledae ovis Jovisque decreto effinxissent: doctiores contra veterum arcanum abstrusius in illis symbolis inesse ostenderunt. In qua tesserâ declarandâ cum peritissimus sese nobis offerat interpres, sequemur quo ille nos duxerit. Nimirum Hemsterhusius in egregia

*) Reposui pro πάλιν, jubente Hemsterhusio ad Lucian II. p. 334. Hoc quidem vocabulum quoties cum aliis confusum sit per veterum scripta alibi explicabimus, quo corrigamus locos nonnullos: cum ipso πάλαι confusum erat idem in Juliani orat. I. Quem emendavit Wyttenbachius, vir summus, vid pag. 210 ed. Schaeferi.

disputatione ad Luciani l. l. posteaquam **Sexti** illa verba emendaverat, ita pergit: „Deinde vetusti sapientes supernum hujus universi infernumque hemisphaerium dixere Διοσκούρους, idque adeo poëtam, in cujus adyto sapientiae, quidquid ipsi fuerint commenti, nullo negotio reperiunt, subindicasse, cum eos ἑτερημέρους vocat. Cum his ferme conspirat **Philo** Jud. de Decal. p. 752 B." Quem locum postquàm protulerat emendaveratque, hoc addit vir summus: „Verum est, priscos seu Theologos, sive Philosophos, justorum coeli motuum, quod eorum pace dixerim, haudquaquam peritos, in hemisphaeria divisisse mundum bina, quae alii fixa et stabilia, Jovis Plutonisque regno discreta, in quibus orbes suos sidera conficiant, alii rotatione volubili circumacta crediderunt: utrovis pacto nihil admodum obstat, dummodo per utrumque axis verticem dissectam ponas, quo minus Dioscurorum, quos sapientes illi vocarunt, ἑτερημερίαν alternasque vices animo informes." Deinde monet ille de **Juliano** Orat. IV. p. 147. Qui quidem in his explicandis in omnia alia abierat. Ejus locum intricatiorem eundemque mendosum cum Hemsterhusius tractare noluerit, equidem hoc unum notabo, si quis forte ad eum purgandum se dare velit, eundem carptim exhiberi ab **Eudocia** in Violario pag. 125 ed. Villois.

Illuc redeo. Tenendum enim in primis hoc est, quo et **Philo** ducit aliique, quorum testimonia excitavit Hemsterhusius, **Orphicos** theologos informasse sibi mundum tanquam **ovatum** ᾠοειδῆ, unde intelligitur cur hemisphaerium ingentis illis ovi esset ἡμίτομον. Ea autem placita innuebant veterum scriptores et ipse **Lucianus** in Deorum dialogis l. l. cum Dioscurorum pileos τοῦ ᾠοῦ τὸ ἡμίτομον appellarent, componentes nimirum ovi dimidiati putamini. Atque inde explicandi sunt Comicorum

veterum loci nonnulli, ut Alexidis apud Athenaeum *) ubi patina in convivio adposita describitur vocabulis aliquot Orphicis ad risum excitandum accomodatis:

— — ἀλλὰ παρετέθη
ὑπερήφανός γ', ὄζουσα τῶν Ὡρῶν λοπάς.
τὸ τοῦ πόλου τοῦ παντὸς ἡμισφαίριον.
ἅπαντ' ἐνῆν τἀκεῖ γὰρ ἐν ταύτῃ καλά.
ἰχθῦς, ἔριφοι, διέτρεχε τούτων σκορπιός.
ὑπέφαινεν ὠῶν ἡμίτομα τοὺς ἀστέρας.

Ubi et hemisphaerium illud Orphicorum et Dioscurorum speciem significari nisi videas, perit omnis ejus loci comica vis festivitasque. Eadem placita, sicuti etiam **Heraclitea**, ridere putandus est Comicorum Atticorum princeps in **Avibus** vers. 175 seq.

Βλέψον κάτω. Ἐπ. καὶ δὴ βλέπω. Πει. βλέπε νῦν ἄνω
Ἐπ. Βλέπω. Πει. περίαγε τὸν τράχηλον. Ἐπ. νὴ Δία,
Ἀπολαύσομαί τί γ' εἰ διαστραφήσομαι.
Πει. Εἶδές τι; Ἐπ. τὰς νεφέλας γε καὶ τὸν οὐρανόν.
Π Οὐχ οὗτος οὖν δήπουθ' ἐστὶν ὀρνίθων πόλος;
Ἐπ. Πόλος; τίνα τρόπον; κ. τ. λ.

In sequentibus alliteratio inest quaesita ex congestis nominibus τόπος, πόλος, πόλις. Illud autem ὀρνίθων πόλος, i. e.

*) Lib. II. cap. 55 p. [illegible] seq. Schweigh cf. 221. Hanc ipsam similitudinem de ovis dimidiatis in Aristophanis oratione apud **Platonem** in convivio cap XV. adhibitam videas ad risum. Eidem Platoni cap. 16 §. 12 feliciter τὰ ἡμίτομα restituit **Bastius** in libello cui titulus Versuch über den Text des Platon. Gastm. p. 53.

οὐρανός, non solum ad avium domicilium spectat, sed pertinet etiam ad irridendos Orphicos, praecipientes de coelo mundoque, ovi (ὀρνίθων πόλυ) speciem habente. Etenim πόλος h. l. est ipse coeli mundique complexus et orbis vid. Schol. ad h. l. add. Beckii V. C. notam p. 20 et, qui nuper admodum de hac re monuit, Facium in libello cui titulus, Miscellen zur Geschichte der Cultur und Kunst, pag. 11 not. 16. Neque minus versimile est illud ἄνω — κάτω consulto selectum esse a poëtâ, qui cum Orphicos tangeret, Heraclitum quoque, qui Orphicarum rerum sectator et erat et habebatur, tangere videtur voluisse; ita ut hic locus ex eorum genere locorum sit, ex quo supra pag. 86 excitavimus Lucianeum. Satis de Theologorum ἡμισφαιρίῳ.

Fertur praeterea altera sententia Orphicorum, repetita ex ejusdem symboli involucro, variataque mirifice ab his ipsis theologis. Dico eam, quae est de ovo primigenio (ᾠῷ πρωτογόνῳ). Nam vulgaris Orphicorum ratio ita ferebat: Initio rerum fuisse Chronon nunquam senescentem, draconis specie, qui in obscuro Erebo ovum pareret, primigenium dictum, quod omnium rerum principia contineret *). Eam autem rationem in eâdem fabulâ attigit

*) Vid. Damascium de principiis in J. C. Wolfii Anecdott. graec. III. p. 252 seqq. Bentleium in epistol ad Mill. p. 454 ed. Lips. Plura congessit Beckii diligentia ad Aristophanis Aves p. 72. Decreti ipsius rationem aperire studuit Kanne in Analect. philol p. 37 seqq. Ovi autem primigenii vim effectricem cogitanti mihi haud alienum videtur, in memoriam revocare, quod veteres ovorum vi naturali docebant. Quo pertinet illud Heraclidis Tarentini apud Athenaeum II. 65 p 235 Schw. qui ovum inter ea refert, quae sint σπέρματος ποιητικὰ, a dita hac ratione: οὐ διὰ τὸ πολύτροφα εἶναι, ἀλλὰ διὰ τὸ ὁμοειδεῖς ἔχειν τὰς πρώτας φύσεις, καὶ τὰς αὐτὰς δυνάμεις τῷ σπέρματι.

patriarum religionum derisor **Aristophanes.** Ita enim ille vers. 695:

> Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
> Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν.

Sed jam ad Dioscuros revocanda disputatio est. De quibus nuper editus **Joannis Laurentii Lydi** libellus *) praeter ea quae ceteri habent, novam profert **Epimenidis** sententiam: *οἱ δὲ περὶ Ἐπιμενίδην ἄῤῥενα καὶ θήλειαν ἐμύθευσαν τοὺς Διοσκόρους, τὸν μὲν αἰῶνα ὥσπερ μονάδα, τὴν δὲ φύσιν ὡς δυάδα καλέσαντες, ἐκ γὰρ μονάδος καὶ δυάδος ὁ πᾶς ζωογονικὸς καὶ ψυχογονικὸς ἐξεβλάστησεν ἀριθμός.*

Illa vero, quae de Dioscurorum ovo monuimus, uti alia Orphica, conjuncta sunt cum decretis Aegyptiorum de suo **Cnepho**, quae **Eusebius** declarat loco classico, ubi ille ita: *τὸν δημιουργὸν ὃν Κνὴφ οἱ Αἰγύπτιοι προσαγορεύουσι.* Deinde describitur pluribus ejus forma, qualem Aegyptus fingat, in quibus notanda haec: *ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς πτερὸν βασίλειον περικείμενον,* cujus rei rationibus aliquot propositis, sic pergit Eusebius: *τὸν δὲ θεὸν τοῦτον ἐκ τοῦ στόματος προΐεσθαί φασιν ᾠὸν τὸν κόσμον. — αὐτοῦ δὲ τοῦ κόσμου τὸ δείκελον τοιόνδε ἀνέπλασαν. Ἀνθρωποειδὲς ἐστιν*

*) De mensib. cap. 6 p. 65. Epimenides haec desumta esse videntur ex ejus carmine, de quo ita **Diogenes** Laërtius Lib. I. §. 11. *ἐποίησε δὲ Κουρήτων καὶ Κορυβάντων γένεσιν καὶ θεογονίαν, ἔπη πεντακισχίλια.* cf. **Suidam**, qui eum scripsisse dicit *πολλὰ ἐπικῶς συγγράμματα.* De quibus operibus monuit **Heinrich** in libello, cui titulus: **Epimenides aus Kreta** p. 130 seqq. ubi tamen Lydi mentionem desidero. **Eusebii** locus est Praepar. Evangel. Lib. III. cap. 12. p. 115.

ἄγαλμα. τὲς μὲν πόδας συμβεβηκότας ἔχον (al. συμβεβληκότας) ἄναθεν δὲ μέχρι ποδῶν ποικίλον ἱμάτιον περιβεβλημένον· ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς σφαῖραν *) ἔχει χρυσῆν, διὰ τὸ μὴ μεταβαίνειν, καὶ διὰ τὴν τῶν ἄστρων ποικίλην φύσιν, καὶ ὅτι σφαιροειδὴς ὁ κόσμος.

Quae cum ita sint, utrumque videtur intelligi posse, tum quae fuerit pileorum illorum, quibus Dioscuros, conspicimus opertos prima origo, tum quas haec res paullatim mutationes subierit. Nimirum ab initio ipsa ova dimidiata videntur pro tesserâ usurpasse prisci illi homines, aicubi vel Cnephum vel Vulcanum **) vel Dioscuros significari vellent. Quo et illud pertinere videtur, quod in Aegyptiorum hieroglyphis eum characterem frequentari cognoscimus, qui ad ovi dimidiati similitudinem quodammodo accedit. Atque eandem figuram ovorum dimidiatorum apparere videas supra ratem, eminentibus stellis ***). Qua de re infra dicetur. Unde postea eruditiore arte effecti videntur pilei, et ipsi quidem ovati, attamen superimpositi capitibus, sive

*) Globus saepissime conspicitur in Isidis, Canobique capite positus cf. Schlichtegroll ad gemm. Stosch. p. 63, unde nos Canobi figuram exhibendam duximus in tabula nostra I fig. 3.

**) Qui quomodo cum Cnepho sive conjunctus sive confusus fuerit, docet Jablonski in Panth. I. p. 93 seqq. Caeterum ovi figuram non Aegyptiis solis, sed etiam Persis placuisse colligi quodammodo videtur posse ex iis, quae p. 39 ex Athenaeo protulimus de Persarum regis ovo aureo. Ovi autem vitellum appellabant Graeci ὠῦ χρυσῦν. Quo pertinet illud e Chrysippi libro περὶ χρησμῶν apud Ciceronem de Divinat. II. 65, ubi cod. Uffenb. in vulgatâ lectione perseverat: „ut ex ovo nascer retur thesauri similitudo." Et habet, quo se tueatur haec lectio.

***) Eum numum ex Fabricii editione Sexti Empirici p. 558 repeti jussimus. Vid. Tab. nostr II. fig. 3.

solarum protomarum, quae Dioscuros repraesentarent *), sive justorum simulacrorum.

Atque si haec cum scriptorum tum vero etiam numorum aliorumque monumentorum testimonia in unum colligas, jam concludi videtur nostra ratio posse, ita ut statuamus, vulgare illud Graecorum commentum de Ledae ovis Tyndaridarumque ortu ex nullâ aliâ re originem duxisse, nisi ex antiquissimo ovi mundani et dimidiati symbolo; quo involucro Aegyptiorum Sacerdotes horumque asseclae Graecorum philosophi et theologi latere voluerunt sua decreta de mundi primordiis, quale est Epimenideum illud de principio et masculo et femineo atque monade dyadeque tanquam procreatricibus. In eandem mentem egregie, uti solebat ille, Hemsterhusius l. l. de Dioscurorum stellis ita: „Ergo Ledae filiorum in pîleis cur stellae micuerint, frustra quaerimus, si haec jam olim insignia Dioscurorum veterum sibi vel ipsi vindicaverint, vel liberali poëtarum dono acceperint." Namque uti Spartanorum Tyndaridae se in priscorum illorum Tritopatorum (sive Dioscurorum) munera inseruerant honoresque, teste ipso Sexto Empirico, ita iidem eorumdum cum illis symbolorum participes facti sunt.

Quae quidem res notabile exemplum praebet mythi e tesserâ profecti, sive, ductâ ex nostro loco similitudine, fabellae, Tyndaridarum instar ex Ledae ovo, e symboli involucro exclusae. Sed tota haec ratio penitius intelligetur commentatione tertiâ, ubi earum rerum omnium, quas hactenus attigimus, summam conficiemus.

*) Vid. Tab. novr. II. fig 4. Quam figuram describendam curavi e numo apud Spanhemium commentar ad Callimach. p. 630 ed. Ernesti Ibi praeterea in alio numo Vulcanus, simillimo pileo opertus, conspicitur, sine stellâ, sed adjuncto forcipe.

FRIDERICI CREUZERI

ELOQ. LITERAR. GRAECAR. ET LAT. IN ACADEMIA
HEIDELBERGENSI PROFESSORIS

DIONYSUS,

SIVE

COMMENTATIONES ACADEMICAE

DE RERUM BACCHICARUM ORPHICARUMQUE
ORIGINIBUS ET CAUSSIS.

VOLUMEN PRIUS.

FASCICULUS ALTER,

CUM FIGURIS AENEIS.

HEIDELBERGAE, MDCCCIX.
IN OFFICINA MOHRII ET ZIMMERI ACADEMICA.

Nachricht: Dieser Titel wird statt dem andern eingebunden, und jener zernichtet.

COMMENTATIO TERTIA

IN QUA UNIVERSE MONETUR

QUAM VIM HABUERIT ANTIQUISSIMA

MAGNORUM DEORUM DEARUMQUE SPECIES.

Jam eo res deducta videtur esse, uti constet, quid secuti prisci illi homines in sacris tesseris ollas voluerint esse ovaque atque alia id genus, quae, per se spectata, a religionum decore haud parum abhorrere judicantur. Qua de re paucis monendum est universe, priusquam sigillatim patefaciamus ejus dei origines vetustamque formam, cujus rebus tota haec dicata disputatio est. Et primum quidem, ipsam speciem orbiculatam placuisse, non est, quod copiose explicetur, cum et scriptores arguant, quorum locos supra excitavimus, et vero etiam monumenta loquantur, quae globos exhibent, vel adjunctos deorum simulacris, vel ipsis capitibus impositos. Hoc ipsum in iis diis deabusque videmus fieri, qui mundi opifices (δημιουργοὶ) habentur, vel certe terrarum orbi praeesse dicuntur. Hinc Cnephi Thebaici ovum cum globo itemque Isidis globulus *), ut alia praeteream in re minime obscurâ. Unde quoque efficitur, quod nunc cum maxime volumus intelligi: his ipsis tesseris nihil aliud declarari, nisi coeli circuitum terraeque orbem undique coëuntem cunctaque, quae hic mundus habet, apte circumplexum. Quae res hodieque obvia unicuique tamen mirifice advertit illorum hominum animos, quorum nativa simplicitas, quidquid conjunctum cum religionibus esset, continuo ad oculorum sensum traduxit. Quo factum est, ut illa quoque, quae diximus, reponerentur in magnorum deorum templis. Unde quasi profecta antiquissima

*) Vid. supra pag. 172 coll. tabula prima libro nostro subjecta; adde Montfaucon antiq. expl. tom. II, tab. CV, CX.

Graecorum philosophia ita se applicuit religionibus, ut etiamsi subtilius multa explicaret et munitiora poneret, tamen symbolis adhaeresceret retineretque voces, quas sacerdotum frequens usus consecrasset quodammodo.

Huc non ea solum pertinent, quae tanquam Parmenidea laudat Aristoteles, qui fertur *) τὸ πᾶν εἶναι πάντοθεν ἐγκύκλῳ σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ, sed Empedocleus **) etiam σφαῖρος, qui et ipse pro Parmenideo habetur. Qua de re nunc quidem non magis disputabo, quam de ipsis notionibus, quas sub his verborum involucris latere voluerunt illi philosophi ***).

Sed, praeter illud κυκλοτερὲς, alia quoque declararunt veteres, qui in sacris rebus hydrias ponerent: illud praecipue, unde ipsum hydriarum nomen fluxit, ut, cum eae reciperent τὴν ὑγρὰν τροφὴν, ejusdem quoque significationem haberent; ita, ut pro symbolo essent humoris, quatenus per terrarum orbem fusus vim corporum seminalem contineret augeretque. Huc non solum faciunt, quae Asclepiades (cujus modo verbis usus sum) refert de Nestoride, veterum placita, sed alia quoque arguunt permutatas antiquitus fuisse notiones humoris ollarumque. Putidus sit, qui operose in talibus rebus illustrandis agere instituat. Itaque hoc solum subjiciam, quod conjunctius est

*) De Xenoph. Zen. et Gorg. p. 941 ed. Aurel.

**) Marcus Antonin. XII. 3 ibiq. Gataker coll. VIII. 41. Parmenidi haec tribuit Stobaeus Eclog. I. 16 p. 354 ed. Heeren. Quam in rem copiose disputat novissimus Empedocleorum editor p. 225. seqq.

***) Si Joanni Philopono fides, τον νοητον κοσμον significavit σφαίρῳ suo Empedocles. Sed in his reliquisque interpretationibus nunc non immorabimur.

cum hujus disputationis summâ: Calida illa ad Thermopylas lavacra χύτρους *) (ollas) appellabant incolae, quae Herculem a Vulcano dono accepisse tradiderat Ibycus **)

Atque hoc adtendi velim. Nam quod proclive erat permutari inter sese, quae reapse eodem redibant, nimirum et humorem seminalem et naturae vim altricem, adeoque ipsam almam beneficamque rerum naturam, inde factum videmus, ut ipsi benefici dei, dii boni (χρηστοί) sive potes atque Cabiri ***) in humoris receptaculo, in hydriis crateribusque quodammodo inesse crederentur. Quam rationem fabula sequitur, tradita ab Ibyco. Qui quidem lavacra ediderat reficiendo corpori Vulcanus, bonorum deorum (Cabirorum) pater ferebatur, ut, cum ille igni praeesset in terrae visceribus latenti, idem tepe-

*) θερμὰ λουτρὰ τὰ χύτρους καλέουσι οἱ ἐπιχώριοι Herodot. VII. 176; ex eo Eustathius ad Dionys. 437 χύτρας laudat, quod, cum recte respuerint Herodoti editores, uno excepto, tamen, si Pausaniae, Messeniac. XXXV. 6, χύτρους γυναικείους contuleris cum illa lectionis varietate, fortasse lacunosum credideris locum Herodoti, nisi malis interpolatum Pausaniam. Quod nunc non decerno.

**) Scholiast. Aristoph. Nub. 1047. Aliam famam secutus erat ibidem excitatus Pisander poëta. Caeterum ad illius appellationis similitudinem prope accedit haec altera, qua voraginem quandam in Tauride flammas prodentem, ᾅδου κρατῆρα vocabant, referente Tzetza ad Lycophron. 197.

***) Sive quod Varro apud Macrobium Saturn. III. 4 dicit: „per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus." Et revera ab ipsis philosophis corpus, quatenus animae domicilium est, ἀγγείου (vasis) similitudine declaratur, vid. Marc Antonin. X. 38 coll. VIII. 27 emendante Valkenario in epist. ad Röver. (Opusc. p. 370).

faceret vapore suo et sparsa semina et quidquid e terra prosiliret salubris humoris.

Quod vero in eodem Vulcano factum esse constat, ut claudus fingeretur, hoc ipsum ad universum illud antiquissimorum deorum genus quodammodo pertinuit, e quibus plures insigni quadam pedum exilitate laborare credebantur. Quo vitio nihil aliud innui vidimus, quam solis ad hiberna signa delapsi quasi segnitiem languoremque et naturae efficaciam cohibitam oppressamque frigoribus, aut certe contristatam pluvio coelo universarum rerum faciem, atque adeo ipsam mortem.

Mortis autem maturitatem iidem afferre ferebantur dii, qui nihil non et procrearent et admaturitatem perducerent. Hinc χρηστοὶ, boni, dicti et dii Manes et Cabiri, vel potius, si rem ab hac parte accipias, prorsus iidem fuerunt Manes atque Cabiri, quandoquidem iidem rerum continenter labentium per petuum orbem deducere existimabantur. Itaque illud philosophi: „omnia, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis" jam vetustissimarum fabularum commendatione gaudere videtur. Verum hoc nunc omittamus; illud volumus teneri: nec a mortis notione sejunctam fuisse receptaculi sive vasis tesseram. Hoc docet non modo Osiridis, a Typhone necati, λάρναξ *) et alia quamplurima ex hoc symbolorum genere, verum etiam eorum ratio, quam ipsam in medio relinquimus, qui Orci etymon cum orca conjungerent **). Nam cum vim terrae naturam-

*) Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 460 seq. Wyttenb.

**) Isidori Etymolog. VIII. 42. p. 383 ed. Arevall. Pluton graece, latine Diespiter, vel Ditis pater, quem alii Orcum vocant, quasi receptorem mortium. Unde et orca nuncupatur vas, quod recipit aquas. Ipse et graece Charon. — Cic. de Nat. D. II. 26. Terrena autem vis

que explicare vellent, quae semina occoecata cohiberet, indeque rursus frugum omne genus eliceret: Plutonis sive Ditis utebantur nomine. Jamque ita concludi ratio nostra potest, ut, quae singula egregie paucis versibus comprehendit poëta:

„Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater:
Indidemque eademque oriuntur de integro, atque eodem occidunt."

ea omnia uno vasculi, sive ollae, sive arcae, modiive symbolo declaraverit antiquitas, ita quidem, ut a principio vasa ipsa deorum magnorum loco essent, posteaquam vero simulacra effingere didicissent homines, vasorum usus in sacris non ille quidem evanesceret, sed ita retineretur, ut eadem adjungerentur simulacris. In quo ipso rursus variatum est, sicut infra explicabitur: hoc loco subjiciatur unum **Pausaniae** testimonium *). Eo referente in antiquo Messeniorum templo, cui nomen erat Ἱεροθύσιον, reperiebantur omnium, quotquot Graecia coleret, deorum imagines et praeterea ἀρχαῖοι τρίποδες; cui subjicitur hoc: ἀπύρους αὐτοὺς καλεῖ Ὅμηρος i. e. crateres, qui igni non admoverentur. Atque hinc eam consuetudinem intelligi posse arbitror, cujus

omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui **Dives** (sic habent etiam codd. mei.), ut apud Graecos Πλούτων, quia et residant omnia in terras, et oriantur e terris. Qui sequuntur versus, leguntur apud Cic. de Divin. I 57, cui jungenda sunt ea, quae de **Amenthe** Aegyptiorum habet **Plutarchus** de Isid. et Osirid. p. 486 ed. Wyttenb, adde non supra laudavimus p. 158.

*) **Messeniac.** c. 32 init.

plurima vetustissimaque exempla suppeditat ipse historiae pater, ut in templorum donariis potissimum tripodes reperirentur.

Sufficiat haec universe monuisse de prisca craterum ollarumque in fanis repositarum adeoque ollarium deorum dearumque ratione.

Quod si terras circumspicias, ubi ea res invaluerit, jam supra vidimus eandem latissime patere, eorumque nummum, quae ducto e tesserâ nomine vel ollaria vel ovata dici possunt, non solum apud Phoenices vestigia reperiri, verum etiam in aliis locis multis, ut in Thraciâ, Samothraciâ finitimisque insulis, Thaso, Lemno, aliis. Quod numismatum praesertim monumenta docent. Ac sicut, quod supra monstravimus, Aegyptiorum religiones hujus generis indicia habent, ita e Graecis terris Peloponnesus praecipue Laconumque et Messeniorum ditio. Quam in rem digna est, quae consulatur, Pausaniae *) narratio. Qui, quo tempore, refert, Messeniorum bello afflictorum res jam ad interitum spectarent: magnarum dearum sacrum apparatum cum mysteriis in stanno inscriptis ab illorum duce Aristomene in monte Ithomes sub terrâ defossum esse. In quibus instrumentis, ut alia omittam, quae huc non faciunt, diserte commemoratur ὑδρία χαλκῆ, quam postea nocturnum visum, Epiteli oblatum, χαλκῶν θάλαμον symbolice nuncupat. Haec hactenus. Neque enim alio consilio ea a me disputata sunt, quam, uti, quoad ejus fieri possit, constet de vetustissima Bacchi et forma et religionibus. Quae quoniam conjunctissimae sunt cum religionibus Serapidis, haec a me tenenda est ratio, ut hujus rebus explicandis aditum patefaciam ad priscam Dionysi speciem rite eruendam.

*) Messeniac. Cap. XX. §. 2. XXVI. 5. 6. XXVII. 2. 4.

COMMENTATIO QUARTA

DE SERAPIDE

ET

BACCHO PELASGIO

(24)

Serapidis autem quae plurima feruntur, cum vel Graeculorum argutias prodant vel Romanorum ingenium diversissima inter se confundentium, ea a nobis consulto omittentur. Nemo enim nescit, quo tempore pertaesa patriae religionis Roma universum quoddam summumque numen desiderasset, in ejus numinis locum successisse Serapidem. Ita factum est, ut quidquid in rebus sacris primarium esset, in hunc unum deum ambitiose congereretur. Nam licet hae religiones sero demum in Urbem translatae indeque expulsae essent, Pisone et Gabinio consulibus: tamen postea laetiora etiam incrementa ceperunt, donec tandem Christianorum Imperatorum mandatis penitus exstirpatae jacuerunt *). Neque vero Romae solum, sed etiam in orbe Romano haec res latissime pertinuit. Sic, ut hoc utar, sola Aegyptus quadraginta duo Serapea habuit Aristidis aevo, qui ipse seculi sui morem secutus, in laudando Serapide huic numini nihil non tribuit, quod in deorum virtutibus praestantissimum censetur **). In eandem mentem composita sunt multa oracula,

*) Macrob. Saturn. I. 7. Tertull. Apol. p. 7. Cedrenus p. 325 coll. Jul. Polluc. Chronic. p. 356.

**) Quod consilium et per universam Aristidis orationem in Serapim declaratur et continuo inde a prooemio simulatque ad rem ipsam ventum est. Quo in loco (pag. 91 ed. Stephan.), ut illud, hac data occasione, subjiciam, e Platonico convivio colorem duxit Platonis stu-

quae a scriptoribus produntur, ut illud apud Macrobium Saturn. I. 20. Ejusmodi scriptorum testimonia hactenus tantummodo a me excitabuntur, quatenus priscarum religionum vestigia retinere videbuntur. Negari enim nequit, in antiquissimis sacris fuisse numen aliquod, cujus ratio, si a posterioris aevi placitis discesseris, proxime ad eum deum accederet, qui postea Serapidis nomine tantopere inclaruit. Constat nimium luculentis testibus, Serapin antiquitus coli solitum fuisse in urbe Aegyptiorum Memphi, vel potius ad Memphin, in planitie arenosa sub montibus Libycis, refertu pyramidibus plurimisque sepulcris. Strabo XVII. pag. 1161 Almel. Ἔςι δὲ καὶ Σεράπειον ἐν ἀμμώδει τόπῳ σφόδρα, ὥσθ' ὑπ' ἀνέμων θῖνας ἄμμων σωρεύεσθαι, ἀφ' ὧν αἱ σφίγγες, αἱ μὲν καὶ μέχρι τῆς κεφαλῆς ἑωρῶντο ὑφ' ἡμῶν (ὑπ' ἀνέμων Palmerius) κατακεχωσμέναι, αἱ δ' ἡμιφανεῖς. Quod ipsum templum antiquissimum dicit Pausanias loco memorabili Attic. XVIII. 4: ἐντεῦθεν ἰοῦσιν ἐς τὸ κάτω τῆς πόλεως, Σαράπιδός ἐςιν ἱερὸν, ὃν Ἀθηναῖοι παρὰ Πτολεμαίου θεὸν ἐσηγάγοντο. Αἰγυπτίοις δὲ ἱερὰ Σάραπιδος *),

diosissimus sophistes Quae enim ibi leguntur: ὅσις μὲν δὴ καὶ ἥντινα τὴν φύσιν ἔχων ἐςιν ὁ θεὸς — εἰδέναι, ὅσων δὲ καὶ οἵων ἀγαθῶν αἴτιος — λέγοντες — ἐπισκοπεῖσθαι, congruunt Agathonis orationi in Platon. Symposio Cap XVIII init, ubi ille consimiliter exorditur ὁποῖος δέ τις αὐτὸς ὢν — οὐδεὶς εἴρηκεν. εἷς δὲ τρόπος — λόγῳ διελθεῖν, οἷος οἵων αἴτιος ὢν τυγχάνει κ. τ. λ.

*) Liceat verbo monere de scriptura nominis, in qua unice spectanda est fides codicum, quod non ubique tenuerunt scriptorum veterum editores. In Cicerone quidem de N. D. III. 19 init., ubi veteres editiones Sarapim habent, libri mei ad unum omnes Serapim exhibent. Neque tamen graeci semper Σάραπις, nec Latini Serapis. Variant enim mirifice et lapides apud Gruterum, Reinesiumque, quorum

ἐπιφανέστατον μέν ἐστιν Ἀλεξανδρεῦσιν, ἀρχαιότατον δὲ ἐν Μέμφει εἰς τοῦτο ἐσελθεῖν οὔτε ξένοις ἐστὶν, οὔτε τοῖς ἱερεῦσι, πρὶν ἂν τὸν Ἆπιν θάπτωσι. Strabo Lib. XVII. p. 1145 in descriptione urbis Alexandriae: εἶθ' ἡ Νεκρόπολις, καὶ τὸ προάστειον, ἐν ᾧ κῆποι τὲ πολλοὶ καὶ ταφαὶ καὶ καταγωγαὶ, πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν ἐπιτήδειαι. Ἐντὸς δὲ τῆς διώρυγος τό, τε Σαράπιον καὶ ἄλλα τεμένη ἀρχαῖα κ. τ. λ. In eandem mentem Tacitus Histor. IV. 84. 'Rhacotae, quod suburbium Alexandriae diu ante urbem conditam ha-

testimonia excitavit doctissimus Te Water ad Jablonskii Voc. Aegypt. p. 285. Glossarium vetus, cujus excerpta dedit Valkenaerius Opuscull p 243, habet Σεράπις Serapis. De latino vocabulo adde Ernestii et Oberlini not. ad Tacit. Histor. IV. 81. Similiter in templi nomine variant Scriptores. Non moror manifesta vitia, velut istud Serapaeum Ammiani Marcellini codicum XXII. 16 (p. 307 ed. Wagner et Erfurdt.) Qua de re Herodianus in fragmento nuper edito e cod. August. ab Hermanno ad calcem libri de emend. ratione Graec. Gramm pag. 307 seq. subtiliter praecipit. Locus totus dignus est, qui legatur, cujus summa huc redit: ἐστιν οὖν Σέραπις, Σεράπιδος, διὰ τοῦτο καὶ Σεραπίδειον ἐροῦμεν. Subjicitur Euripidis locus ex Andromacha v. 19. — Θετίδειον αὐδᾶ, quod ex Euripidis codicibus Hermannus mutat in Θετίδειον αὐδῶ, similiterque scribendum docet: Σεραπίδειον. Sequitur Herodiani locus ad Dionysum pertinens: — ἐπεὶ οὖν Ἀσκλήπιος Ἀσκληπιῶ, Διόνυσος δὲ Διονύσου καὶ Θησεὺς Θησέως, ἐπεὶ οὐ περισπᾶται, διὰ τοῦτο οὐκ ἐροῦμεν Θησεῖον οὐδὲ Διονυσεῖον, ἀλλὰ Διονύσιον καὶ Θήσειον. Ceterum, quod Te Water, l. l., postquam docuerat promiscue a Graecis dici Σέραπις et Σάραπις, continuo addit: „an quis unquam dixerit Σαραπεῖον, non jam mihi redit in memoriam" miror eum virum nec meminisse, ut alios taceam, Plutarchi, qui in vitâ Alexandri cap. 76 fin. diserte habet Σαραπεῖον nulla, quod sciam, varietate codicum, nec Eunapii in Aedesii vitâ pag. 63 ed. Steph.

bitatum fuisse constat, sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum perhibet. Apparet igitur creditum a gravissimis auctoribus priscas esse ejus dei religiones in Aegypto, non modo circa Memphin, sed etiam Alexandriae.

Jam si de specie quaeris, quam veteres illi Aegyptii Serapidi tribuerint: illud primum teneri velim, quod supra docuimus, p. 152, eundem in Cabiris, sive diis magnis, numerari simul cum Iside. Hi autem qua forma antiquitus exhibiti fuerint, copiose nobis videmur demonstrasse. Ac Memphi derisus a Cambyse Vulcanus, qui Cabirorum pater, derisi ipsi Cabiri, formae gratià, quae ad Pataecorum similitudinem accederet *). Quidni igitur credamus, et Alexandrinum Serapin Isinque cum et ipsi antiqui dicantur, eandem speciem prae se tulisse, quae communis esset hujus deorum generis, orbiculatam modo ollarem, modo ventriosam denique. Satis nunc quidem de hac re, quae deinceps a nobis ponetur munitior. Exorsus est enim postea alius Serapis, Sinope adductus Alexandriam, qui, sicut ille Memphites Cambysi, ita et ipse ludibrio fuit hominibus Christianis. Quo illud Theophili **) pertinet: *καὶ Σάραπιν τὸν ἀπὸ Σινώπης φυγάδα εἰς Ἀλεξάνδρειαν γεγονότα.* Nos vero serio agamus, referamusque rem ordine, ipsius Taciti verbis: „Origo Dei nondum nostris auctoribus celebrata; Aegyptiorum antistites sic memorant: Ptolemaeo Regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditur moenia templaque et religiones adderet, oblatum, per

*) Vid. supr. p. 131 ibiq. Herodot. III. 37.

**) Ad Autolycum Lib. I. cap. 9 p. 366 ed. Venet. Taciti locus est Historiar. IV. 83 seq.

quietem, decore eximio et majore quam humanâ specie juvenem, qui moneret, ut fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret: laetum id Regno, magnamque et inclitam sedem fore, quae excepisset. Simul visum eundem juvenem in coelum igne plurimo attolli. Ptolemaeus, omine et oraculo excitus, Sacerdotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis, Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum, Atheniensem, e gente Eumolpidarum, quem, ut antistitem caerimoniarum, Eleusine exciverat, quaenam illa superstitio, quod Numen? interrogat. Timotheus, quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit, urbem illic Sinopen, nec procul templum, vetere inter accolas famâ, Jovis Ditis. Namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemaeus, ut sunt ingenia Regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, negligere paullatim aliasque ad curas animum vertere: donec eadem species, terribilior jam et instantior, exitium ipsi Regnoque denuntiaret, ni jussa patrarentur. Tum legatos et dona Scydrothemidi, Regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri jubet: praecipitque navigaturis, ut Pythium Apollinem adeant. Illis mare secundum: sors oraculi haud ambigua: irent, simulacrumque patris sui reveherent, sororis relinquerent. Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata Regis sui Scydrothemidi adlegant. Qui versus animi, modo Numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri: saepe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemaeus non studium, non preces omittere. Dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi affertur, ne destinata Deo ultra

moraretur. Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta coelestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata concione, jussa Numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit. Vulgus adversari Regem, invidere Aegypto, sibi metuere templumque circumsidere. Major huic fama tradidit, Deum ipsum adpulsas litori navis conscendisse. Mirum inde dictu, tertio die, tantum maris emensi, Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic sacellum, Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Haec de origine et advectu Dei celeberrima. Nec sum ignarus, esse quosdam, qui Seleuciâ, urbe Syriae, accitum, regnante Ptolemaeo, quem tertia aetas tulit: alii auctorem eundem Ptolemaeum, sedem, ex qua transierit, Memphim perhibent, inclytam olim et veteris Aegypti columen. Deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur „aegris corporibus; quidam Osirin, antiquissimum illius gentis Numen: plerique Jovem, ut rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem, insignibus, quae in ipso manifesta, aut per ambages conjectant." Haec Tacitus, cui in hac re adjungendi sunt cum alii tum praesertim Plutarchus, binis locis, itemque Clemens Alexandrinus *).

Jam nos quidem, ceteris omissis, hoc unum nunc quaerimus, quae ratio intercedat hunc novum Serapim inter et priscum, praesertim si loca spectes, ubi hic cultus fuisse putandus sit, speciemque quam induisse videatur. Quod ut rite fiat, consulenda sunt sola scriptorum veterum testimonia de antiquitate

*) Plutarch. de Isid. et Osir. p. 492 de Solert. anim. p. 990 Wyttenb. Clement. Protrept. p. 42 Potter.

Serapidis. Ac primum Suidas *), nescio quo auctore, refert ab Alexandro conditum ei deo templum amplissimum. Plutarchus autem in extremis ejusdem rebus Serapidem bis commemorat **) ejusque dei oraculum Babylone consultum dicit de salute graviter aegrotantis regis. Quae eadem fere ex ephemeridibus regiis prodit Arrianus expedit. VII. 26. 3. Atque haec admonent ejus famae, quae Seleuciâ Syriae arcessitum Serapidem ferebat, auctoribus Tacito l. l. Clementeque l. l., qui haec Isidori fide refert. Idem porro Clemens ibidem Athenodori narrationem exhibet de effigie Osiridis, quae efficta Sesostris jussu Σάραπις dicta fuerit. Qua fama rursus ad Aegyptum trahitur ejus dei religio et ad extremam usque Aegyptiarum rerum antiquitatem. Quod ipsum in Graecis rebus facit Apollodorus, qui altero loco Apin Phoronei filium ab Aetolo necatum dicit, altero autem Apin a Telchinibus esse occisum, et post mortem relatum in deos Serapidis nomine invocatum ***). Feruntur etiam alia velut illud, Serapin esse eundem cum Josepho patriarchâ ****) et quae plurima id genus leguntur apud posterioris aevi scriptores, in quibus non immorabimur. Illud conferendis istis locis volumus teneri: fuisse apud

*) In Σάραπις.

**) Vit. Alexandr. cap. 76 extrem, coll. cap. 72.

***) Apollodor. I. 7. 6. coll. II. 1. 6. Haec posteriora tradit Clemens Strom. I. p. 353. Aristeam Argivum auctorem laudans. Alios locos laudat Heynius Observ. ad Apollod. p. 45. p. 97.

****) Ruffin. Hist. eccl. II. 23. Quam sententiam firmare studuit Gerard Vossius de Orig. et Progr. Idol. I. 222.

populos variarum regionum Aegypti, Babylonis, Syriae, ipsiusque Graeciae prisca religione consecratum quoddam numen, cujus vis ac natura latissime patere, ac potissimum ad inferos pertinere crederetur. Quod quidem cum, sicut reliqui magni dii (Cabiri), ita et ipsum rudi figurâ exhibitum esset, potissimum ollari: a cultiore Graecorum arte paullatim humanâ figurâ repraesentari coeperat. Quam consuetudinem secutus Ptolemaeus rex Aegyptiis suis, qui rudiori formae adhuc adhaeserant, obtrudit jam novum deum elegantiorem pro prisco rudioreque. Atque ita factum esse, arguit ipsa species Dei a Ptolemaeo Sinope advecti. Quo illud pertinet apud Plutarchum de Isid. p. 483. Ἐπεὶ δὲ κομισθεὶς ὤφθη, συμβαλόντες οἱ περὶ Τιμόθεον τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μανέθωνα τὸν Σεβεννύτην Πλούτωνος ὂν ἄγαλμα, τῷ Κερβέρῳ τεκμαιρόμενοι καὶ τῷ δράκοντι, πείθουσι τὸν Πτολεμαῖον, ὡς ἑτέρου θεῶν οὐδενὸς, ἀλλὰ Σαράπιδός ἐστιν. Nimirum quum Aegyptii, patrio more, vel bruta exhiberent pro diis, vel certe brutorum capita humano trunco superimponerent, jam hic deus, extrinsecus arcessitus, pro insigni, quod Tacitus in hac ipsa re ait, habebat animal triceps leonino, lupino caninoque, capite circumplexa serpente. Eleganter in hanc rem Olympiodorus in vita Platonis p. XXX. ed. Fischeri: Ὅ γὰρ παρὰ τοῖς Ἕλλησι δύναται τὰ ἀγάλματα, τοῦτο παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις τὰ ζῶα, σύμβολα ὄντα ἑκάστου τῶν θεῶν, ᾧ ἀνάκειται. Eodem pertinet modius, qui imponi Serapidis capiti solet *). Qua de re ut plurima feruntur interpretantium placita, ita mihi simplicissimum videtur illud

*) Velut in numo Alexandrino, quem nos infra tab. II. Nr 5. describendum censuimus, ex Ezech. Spanhemii commentar. in Callimach. p. 740 ed. Ernest.

quod Rufinus habet *): „Serapidis capiti modius superpositus — quia indicet, vitam mortalibus frugum largitate praeberi.“ Quod insigne ego arbitror successisse in locum arcae vel ollae, sub qua ipsâ in nonnullis templis illud numen latere voluerint et Aegyptii et aliae nationes. Ut enim credam, hunc Deum, quem Serapidis nomine colebant, antiquitus hydriae formam sive nudam, sive imposito capite humano, habuisse Diogenes Laërtius facit loco memorabili **), quem, quoniam nemo adhuc recte explicuit, subjiciam. Ita enim ille in vita Diogenis Sinopensis: Ψηφισαμένων Ἀθηναίων Ἀλέξανδρον Διόνυσον, κἀμὲ, ἔφη (Διογένης) Σάραπιν ποιήσατε. Hoc in loco si quis de Sinope, Diogenis patriâ, cogitet, quo respexerit philosophus, cum eo non contenderim, modo ne credat idem, hac explicatione rem confectam esse. Quo enim ejus joci vis penitus sentiatur, non solum necesse est reputes fastum regis, qui se Ammonis filium voluerit haberi, qualis etiam esse ferebatur Bacchus, teneasque illud, quod Διονύσου instar victricem pompam per terras ducebat Alexander, verum etiam cogitandus est ipse philosophus, τὸν ἐν τῷ μητρῴῳ πίθον ἔχων οἰκίαν. Finge tibi enim Diogenem, qualem vetus anaglyphum exhibet ***), dolio insidentem, sola prominente superiore parte corporis,

*) Hist eccles. II. 23.

**) VI 63. coll. §. 23.

***) Apud Winkelmannum in Monum. ant. Quod ipsum edendum curavit Sanctacrucius (Saintecroix) in titulo operis praestantissimi, quod inscribitur Examen critique des Historiens d'Alexandre et nuperrime Zoëga in libro, cui titulus: Li Bassirilievi antichi di Roma. Sect. V. Nr. 30.

adde canem, qui in hoc ipso anaglypho additur, et habebis Serapidem prisca forma, hoc est ollari, eàque, quae Canobi nomine venit. Itaque nihil aliud intelligi eo dicterio voluit philosophus, nisi hoc: se esse Διόνυσον χθόνιον, quando Alexander perhibeatur Διόνυσος superus, atque adeo, cum hic terrarum orbem obeat regatque, tanquam Bacchus victor et Θρίαμβος, se ipsum inferis praeesse, (cujus rei olla insigne erat) igiturque universum orbem inter utrumque ex aequo esse distributum *). Atque ita hic locus haud ambiguo argumento est, obtinuisse etiam tunc apud Graecos memoriam priscae formae ejus dei, quem iidem cultiore forma exhibitum Serapidis nomine appellabant.

Hanc autem commutationem in Graecia quidem mature esse factam, colligere mihi posse videor e rebus Telchinum, quae ad antiquissimam Graeciae aetatem referendae sunt. Celebrantur illi multis fabulis, tanquam mirifici artifices, qui et alia scite excogitaverint, et aes ferrumque primi inter homines fabricari calluerint, unde iis magicae etiam artis crimen intenderit invidia **). Atque iidem homines, Diodoro referente, dicuntur:

*) Sive quando Alexander sicut sol superus, orbem lumine suo collustret: se, tanquam inferum, loca infera lustrare vid. Diogen. l. l. §. 64. — καὶ γὰρ ὁ ἥλιος εἰς τὰς ἀποπάτους, ἀλλ' οὐ μιαίνεται. Bacchus enim est sol cum aestivus, tum hibernus ex fabularum ratione, quod infra apparebit. — Neque bacillus philosophi abest a Serapidis similitudine, quandoquidem hic deus πῆχυν sive cubitum Niliacum gerens fingitur.

**) Strabo XIV. 966 Almel. loco classico, cf. X, 714. 723. Diodor. Sic. V., cap. 55.

ἀγάλματα τε θεῶν πρῶτοι κατασκευάσαι. Quibus subjicit: — καί τινα τῶν ἀρχαίων ἀφιδρυμάτων ἀπ' ἐκείνων ἐπωνομάσθαι. Jam si haec cum iis componas, quae supra ex Apollodoro memoravimus, a Telchinibus Apin esse occisum, unde Serapidis religio exstiterit: haud obscura equidem vestigia comparere arbitror ejus famae, qua Graeci inventas deorum statuas, hoc est inventam humanam deorum speciem, pro specie vel brutorum vel ollarum hydriarumque, antiquissimorum artificum ingenio tribuerent. Apud Aegyptios autem cum Serapidis religio, Memphi quidem Rhacotique, antiqua esset, ejus dei formam orbiculatam fuisse vel vasis (arcae) retulisse speciem probabile reddunt cum ea, quae supra posuimus, tum vero etiam hoc quod Plutarchus *) a nonnullis creditum dicit: „Sarapin non esse deum, sed sepulchralem cistam Apidis (τὴν Ἄπιδος σορὸν) sic nominari.“ Quam etymologiam ipsam licet Plutarchus recte dicat absurdissimam omnium, videntur tamen, qui eam captarent Graeci, non de nihilo ita suspicati fuisse, cum potius ducerentur ratione quadam repetitâ e symbolo, sub quo latere vidissent illius numinis sanctitatem. In ejus autem insignibus hydriae arcaeque et pyrea (πυρεῖα) non solum a scriptoribus memorantur, verum etiam exhibentur in operibus certis. Quod infra monstrabitur in loco de ἐπιφανείᾳ Σαράπιδος.

Et videtur Aegyptus in hoc deo vel effingendo vel significando tenacissima fuisse prisci moris, ut, cum ceterae gentes,

*) De Isid. et Osirid. p. 484 seq. Eadem explicatius refert Isidorus Etymolog. VIII. 85. p. 391. „Apis rex Argivorum — Serapis appellatus est: propterea quia arca, in qua mortuus ponitur, quam sarcophagum vocant, σορὸς dicitur graece — velut σορὸς Apis, Sorapis.“ — reliq.

Graeca praesertim, dudum ad cultiorem formam erudiissent illius numinis imagines, ipsa fidelius retineret quod antiquitatis consecrasset auctoritas, donec Graecis regibus obsecuta et ipsa in popularibus certe sacris admitteret cultum elegantiorem. Neque enim prorsus evanuit, recentiore propagato, priscus usus, sed recessit in mysteriorum adyta. In Aegypto quidem etiam loco disjuncta videtur fuisse publica hujus dei religio a reconditiore, ita ut haec potissimum Canobi, urbe satis amplâ, floreret, illa celebraretur in regni capite Alexandriae. Strabonis locum de Serapeo Alexandrino supra adscripsimus. Cujus dei religionem postea quoque ibidem frequentatam fuisse arguit praesertim Ammiani testimonium *), qui ita refert: „Serapeum, quod, licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis amplissimis, et spirantibus signorum figmentis, et reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se venerabilis Roma in aeternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat.“ reliq. Qualis autem ratio obtinuerit inter Alexandrina ejus dei sacra et Canobica nemo luculentius docet Eunapio, qui in vita Aedesii et magnificentissime statuit de Serapeo, quod Alexandriae erat, et de sacris haec subjicit: ἡ δὲ Ἀλεξάνδρεια διά τε τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερὸν ἱερά τις ἦν οἰκουμένη κ. τ. λ. Idem de Canobicis religionibus ita refert: — εἶτα τὸ κανωβικὸν θαυμάσας τε καὶ ὑπεραγασθεὶς τοῦ Νείλου στόμα, καὶ τοῖς ἐκείνου θεοῖς τε καὶ ἀῤῥήτοις ἱεροῖς ἀναθεὶς καὶ προσαρμόσας ἑαυτόν κ. τ. λ. **). Ad haec ἄῤῥητα ἱερὰ videtur etiam pertinuisse dei prisco more repraesentandi consuetudo per hydrias vel solas,

*) XXII. 16. 12.

**) Eunap. vit. Aedes. p. 61. 62. ed. Steph.

vel humano capiti junctas; ut statuamus eas imagines, qui vulgo Canobi dicuntur, nihil aliud esse, quam rudiorem significationem Serapidis. Quod ut ita credamus, multa faciunt. Nam primum nemo adhuc certa antiquorum scriptorum fide docuit, quid intersit discriminis Serapidem inter atque Canobicum deum. Deinde Heraclides Ponticus apud Plutarchum l. l. Canobicum oraculum habuit pro Plutonis oraculo, quem ipsum eundem esse diceret cum Serapi. Taceo illud, quod Strabo XVII. 1152 Canobo urbi attribuit Serapidis oraculum. Gravius enim illud est, quod antiquorum monumentorum, infra adhibendorum, fide constat: in sacris hujus dei, pro hydriâ, etiam Canobum, hoc est, hydriam, eminente humano capite, in pompâ duci solitam.

Verum, utcunque hac de re statuatur, illud nequit dubitari, Canobicum Serapidem a ceteris ejusdem dei formis diversum commemorari, et in ipsâ quidem Graeciâ, ita ut haud vana sit suspicio, si reliqua adhibeamus, Canobicum Serapidem vetustiore habitu fuisse exhibitum. Pausanias Corinth. cap. 4. §. 7. prope Corinthum, ait, duo reperiri Isidis fana itemque duo Serapidis: καὶ δύο Σαράπιδος, addens ἐν Κανώβῳ καλȣμένȣ τὸ ἕτερον. In hoc quidem, credibile jam est, adoratum fuisse deum antiquo more, et ipsum latentem sub antiquis symbolis, ollis et quae praeterea huc pertinent. Eodem facit ejusdem locus alter in Laconicis cap. XIV. §. 5, ubi, postquam Thetidis reconditum simulacrum a Lacedaemoniis coli traditum erat, itemque Δήμητρος χθονίας mentio facta, de Serapide continuo subjicitur illud: ἔςι δὲ καὶ Σαράπιδος νεώτατον τȣ̃το ἱερόν. Quo in loco, dubium non est, quin intelligi debeat Serapis recentior, hoc est humanâ figurâ effictus,

addito modio caneque tricipite. Hactenus dicitur hic Serapis sero invectus. Retinebat enim ipsa Laconia prisca quoque ex hoc genere deorum symbola, velut in fano Hilairae et Phoebes ovum illud Dioscurorum fasciis involutum. Pausanias Lacon. cap. 16 init. Ἐνταῦθα ἀπήρτηται ὠὸν τῦ ὀρόφυ κατειλημμένον *) ταινίαις. εἶναι δέ φασιν ὠὸν ἐκεῖνο. ὃ τεκεῖν Λήδαν ἔχει λόγος. Sequitur narratio de tunica Apollinis Amyclaei. Satis de his, quae unumquemque docebunt, distinguendum esse, ut reliquorum Cabirorum, ita etiam Serapidis speciem cultumque vetustiorem ab eorundem deorum recentiore habitu; neque solum in Aegypto, verum etiam in Graecia Serapin sub vasis forma latuisse.

Venimus in eum locum, qui est de naturâ potestateque hujus dei, ut explicemus, quae munera ei tribuerit antiquitas. Qua in re omittamus illa, quae posterioris aevi scriptores magnificentius quam verius in ejus laudibus ponunt, seligamus ea, quae antiquior religio in eodem inesse crediderit. Huc pertinet illud, quod Aristides **), cum communis omnium deorum provincia terra sit, eum tamen prae ceteris dicat, eidem imperare: ὁ δὲ γῆς κληρῦχος αὐτὸς διαφέρων. Neque enim dubitari potest, quin per hunc deum vim terrae efficacem declarari voluerint veteres. Praeterea idem maris imperium gerere credebatur. Aristides l. l.: — γῆς καὶ θαλάττης, φαῖεν ἂν ποιηταὶ, κλῆϊδας ἔχων. Inde ventis quoque imperare navesque gubernare ferebatur ***). Ac sicuti vim terrae igneam ciere valebat,

*) Legendum videtur κατειλημμένον. Vid. quae de hac confusione supra monui, p. 76 seq.

**) Orat. in Serapin. p. 96. b.

***) Ibid. p. 98. b.

adeoque ignem moderari, sic, vel in medio mari potulentam aquam praebebat *), ut adeo trium horum elementorum vis omnis atque natura ab ejus quasi nutu pendere judicaretur. Atque huc pertinent, quae plurima apud veteres leguntur de Serapide Niliaco. Quemadmodum enim Nilum sacrum suum fluvium, et aquae et terrae usum praestare arbitrabantur **), ita aquae terraeque praesidem deum eidem praeesse, hujusque limo frugum fertilitatem augere docebant. Satis sit, unum Aristidis ***) testimonium laudasse, qui ita de hoc deo: οὗτος ἄγει Νεῖλον ὥρᾳ θέρους, οὗτος χειμῶνος ἀνακαλεῖ. Et notum est eidem hac de caussâ Nilometra fuisse dicata, Nilique cubitum pro symbolo additum. Qua de re copiosissime egit Jablonskius ****), cujus tamen sententia non placet, cum ex ipso Nilometro deum hunc effictum dicit, nomen etiam repetens ex ejus rei vocabulo Aegyptio. Nili autem, ut hoc subjiciam, numquam exhausti symbolum lotus. Et coronae loti impositus conspicitur Canobus vid. tab. nostr. I. figur. 5. quam nos desumsimus e libro nuper edito, qui inscribitur: Rifflessione antiquarie sulle sculture Capitoline. Roma 1806. Distrib. VII. tab. 11. De loto in rebus Aegyptiorum sacris frequentata disputandi otium

*) Ibid. p. 98. c.

**) Vid. supra p. 114 laudatos Philostrati, Juliani, Themistii locos.

***) Orat. laud. p. 100. b.

****) Cum in Pantheo lib. IV. cap. III tum in Voc. Aegypt p. 286, ubi conjicit Sarapin conflatum esse ex Sari (columna) et Api mensura, ut esset columna mensionis, qua gradus ascendentis Nili spectantur. Ceterum ad Osiridis nomen ab aliis Nilum referri, notum est; vid., ne plura, Heliodor. Aethiop. IX. 9, p. 353. ed. Coray.

fecerunt et Larcherius ad Herodot. II. 71. et Sprengelius in antiqq. botan. p. 56 et in histor. rei herbar. p. 30, qui eam pro Nelumbio specioso habet. Ei insidens et Osiris fingitur et Harpocrates. Quod ad aquae vim altricem pertinet. Perseam autem (περσέαν), qua ornatum Canobi nostri caput, Isidi sacram fuisse docet Plutarchus de Isid. et Osirid. p. 548. Hinc in ejus deae iconibus, et aliis monumentis Aegyptiorum. Est Cordia Myxa, Diodor. I. 34. Schol. Nicandri Theriac. 764. cf. Sprengelii hist. med. pag. 31.

Cum hac Nilotici dei significatione copulatae sunt duae aliae notiones, quas spectans Aristides eum φιλανθρωπότατον θεῶν καὶ φοβερώτατον αὐτὸν nuncupat *). Videamus de utrâque, quandoquidem utravis cum ad magnorum deorum naturam intelligendam facit, tum praesertim ad res Bacchicas.

Ac primum quod Serapin, tanquam servatorem, quae appellatio in ipsis marmoribus **) legitur, pie colebant, in eo bina elementa aquae et ignis spectabant, unde praecipue salutis primordia repeterent. Qua de re classicus locus exstat apud Porphyrium ***), qui ita de Aegyptiis: ὕδωρ καὶ πῦρ σέβοντες μάλιστα τῶν στοιχείων· ὡς ταῦτα αἰτιώτατα τῆς σωτηρίας ἡμῶν, καὶ ταῦτα δεικνύντες ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὥς που ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ ἀνοίξει τοῦ ἁγίου Σαράπιδος ἡ θεραπεία διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος γίνεται. λείβοντος τοῦ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντος, ὁπηνίκα ἀνεστὼς

*) Ib. p. 97. a.

**) Gruteri inscript. LXXXV. 8. Deo Invicto Serapi Servatori.

***) De abstinent. lib. IV. p. 373 seq. ed. Lugd.

ἐπὶ τῆς ὁδοῦ τῇ πατρίᾳ τῶν Αἰγυπτίων φωνῇ, ἐγείρει τὸν θεόν. Ut Platonico Platonem ipsum jungamus, hic quidem in Sophista p. 266 hospitem sic dicentem facit: Ἡμεῖς μὲν ἂν καὶ τ' ἄλλα ζῶα, καὶ ἐξ ὧν τὰ πεφυκότ' ἐστὶ πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ τὰ τούτων ἀδελφὰ κ. τ. λ. Atque, ut hoc Orphicum attingam, illa, quae apud Homerum Iliad. XXI. 342 seqq. leguntur de Vulcani certamine cum aquâ, ex Orphicâ doctrinâ efficta esse docuerunt nonnulli eorum, qui plurimi hoc de loco disputarunt. Philostratus *) καὶ ὡς ἐμάχοντο ἡ Ἀθηνᾶ τῷ Ἄρει, καὶ ὁ Ἥφαιστος τῷ ὕδατι ταῦτα τὸν Ὀρφέως τρόπον πεφιλοσοφῆσθαι τῷ Ὁμήρῳ. Eam rem ut in medio relinquimus, ita intelligi volumus Serapidi prae ceteris quandam vim igneam esse tributam. Quo et alia pertinent et illud, quod Dio Cassius **) in ejus dei templo Alexandrino Caracallae imperatoris pugionem ignibus coelestibus miraculose absumtum commemorat. Et quemadmodum in maris imperio Isidi Phariae socius hic deus, ita, uti videtur, in igne quoque administrando, igiturque lucernae in utriusque dei honorem cum praecipuâ quadam significatione accensae. In Isiacâ quidem pompâ „antistitum primus lucernam praemicantem claro porrigebat lumine, aureum scilicet cymbium in medio sui patore flammulam suscitans largiorem“ ***). Taceo quae Herodotus ****) refert de illa λυχνοκαΐα in nocte festâ

*) Heroic. pag. 100 Boissonnade.

**) Lib. LXXVIII. 7.

***) Appulej Met. lib. XI. p. 372.

****) II. 62. ex quo loco vox λύχνα enotata a Grammaticis; quam Alcaeo apud Athenaeum reddidit Porsonus ad. Euripid. Med. 494.

Saitarum in honorem Neithae, licet hanc deam a nonnullis pro eâdem habitam constet cum Iside *). De lucernâ Serapidi oblatâ servatur epigramma Callimachi **):

Τῷ με Κανωπίτᾳ Καλλίστιον εἴκοσι μύξαις
Πλούσιον, ἡ Κριτίου, λύχνον ἔθηκε θεῷ,
Εὐξαμένα περὶ παιδὸς Ἀπελλίδος. ἐς δ' ἐμὰ φέγγη
Ἀθρήσας φήσεις· Ἕσπερε, πῶς ἔπεσες.

Deus Canobita est Serapis, cui Callistion lucernam dedicaverat, ex voto, ob filium servatum e morbo, intelligendusque deus medicus, de quo, praeter ea, quae supra p. 122 e Strabone Ciceroneque protulimus, dignus est, qui conferatur Aristidis locus ***) ubi ita: τὸ δὲ σῶμα, ὑγίειαν διδοὺς, σώζει κ. τ. λ. Idem alio loco ****) eundem σωτῆρα πάντων ἀνθρώπων nuncupat. Unde ratio apparet, cur a nonnullis pro eodem deo cum Aesculapio habitus, referente Tacito Hist. IV. 81. 84.

Neque solum corporibus mederi, sed eadem quoque alere ferebatur Serapis, ut adeo quidquid fere laudum in Nilum suum congerebant Aegyptii, quem omnium bonorum largitorem †)

refragante doctissimo Grotefendo ad Athen. Vol. V. pag. 415 d. Herodoti autem locum primus apte distinxit Schaeferus vir doctissimus, ratione redditâ in not. ad Dionys. Hal. de Compos. verbor. pag. 306.

*) Plutarch. de Isid. p. 453.

**) Nr. XXIV. Antholog. gr. tom. I. p. 218 Jacobsii.

***) Orat. in Serap. p. 93. b.

****) Ibid. p. 94. c.

†) χορηγὸν Juliani epist. I. p. 372 Spanh.

praedicabant, id omne congereretur in illum deum. Quod argumentum copiose exponit is, quem saepe laudavimus, orator. Unde hoc efficitur universe, hunc deum non minus quam Isidem, quae in lapidibus **fructifera** dicitur, fructiferum atque beneficum esse visum veteribus. Ex quo loco sola haec verba ejusdem **Aristidis** *) adscribamus, quae potiorem quandam significationem vetustatis habent, cujus vestigia ex his fabulis eruere constituimus. Habent autem ita: *καὶ τοίνυν καὶ θυσιῶν μόνῳ τούτῳ τῶν θεῶν διαφερόντως κοινωνοῦσιν ἄνθρωποι τὴν ἀκριβῆ κοινωνίαν· καλοῦντές τε ἐφ᾽ ἑστίαν, καὶ προϊστάμενοι δαιτύμονα αὐτὸν καὶ ἑστιάτορα. ὥστε ἄλλων ἄλλοις ἐράνους πληρούντων, κοινὸς ἁπάντων ἐράνων οὗτός ἐστι πληρωτής· συμποσιάρχου τάξιν ἔχων τοῖς ἀεὶ κατὰ τοῦτον συλλεγομένοις κ. τ. λ.* Quae singula huc redeunt, ut de eodem deo praedicare dicamus, quod supra **) de priscis illis **Pataecis** praedicari intelleximus; quorum Serapis germanus est geminusque, cum sit *ἐπιτραπέζιος θεὸς*, **deus bonus, laetitiae dator**, epularum, omniumque earum rerum, quae in vita jucundae habentur, choragus.

Explicavimus, cur humanissimus dicatur Serapis. Videamus de eodem tanquam *φοβερωτάτῳ*. Quae res quum copulata sit cum solis hiberni notione, haec ipsa prior aperienda videtur esse. Huc vel maximè facit locus **Porphyrii** ***), qui ita de **sole**: *ὁμοίως μέντοι καὶ τὴν φθαρτικὴν ἔχει δύναμιν, διὸ τῷ Πλούτωνι συνοικίζουσι τὸν Σάραπιν· τοῦ μὲν δεδυκότος ὑπὸ γῆν φωτὸς τὸν πορφύρεον*

*) Orat. laud. p. 97. c.

**) Pag. 136 seqq.

***) Apud Euseb. de praepar. evang. lib. III. cap. 11. p. 113 ed. Colon.

χιτῶνα πεποιημένον σύμβολον, τὸ δὲ κεχαρακτηρισμένον σκῆπτρον τῆς νέρτω δυνάμεως κ. τ. λ. Unde duplex efficitur dei munus, nimirum solis sub terram delapsi regisque inferorum. Quod vero de purpureo vestimento traditur, id explicatius docet Macrobius *): „Hoc argumentum lucidius Aegyptii absolvunt, ipsius solis simulacra pinnata fingentes, quibus color apud illos non unus est. Alterum enim caeruleâ specie, alterum clarâ fingunt. Ex his clarum superum, et caeruleum inferum vocant. Inferi autem nomen soli datur, cum inferiore hemisphaerio, id est hiemalibus signis cursum suum peragit: superi cum partem zodiaci ambit aestivam.“ Inde explicari debet Joan. Laurent. Lydus **). Ὁ δὲ Νεμᾶς τὴν βασιλικὴν ἐσθῆτα εἰς τιμὴν ἡλίου καὶ Ἀφροδίτης ἐκ πορφυρᾶς καὶ κόκκου κατασκευάζεσθαι διετύπωσεν κ. τ. λ. Huc etiam pertinet purpurea fascia in sacris Cabirorum ***), de qua ferebatur λόγος ἱερὸς super nece Cadmili, sive Bacchi Samothracii ****). Et apud Messenios Laconesque purpureae chlamydes Dioscurorum, Pausan. Messen. cap. 27. 1. Nec aliena ab hoc argumento sunt purpurea pallia Eumolpidarum stragulaeque ejusdem coloris initiatorum in Eleusiniis sacris. Omnino hoc tesserae genus pertinet ad deos χθονίους et significationem mortis +).

*) Saturnal. I. 19.

**) De mensib cap. VII. init.

***) Scholiast. Apollon. I. 916.

****) Clement. Alex Proterpt. tom. I. p. 16 Potter.

+) Quam in rem cf. etiam Artemidor. Oneirocrit. I. 79. Caeterum Baccho attribuebatur crocota. Schol. Aristoph. Ran. 46: Διονυσιακὸν φόρημα κροκωτή. Illam vocem Vellejo feliciter restituit Ruhnkenius, qui copiose de hoc symbolo Bacchico disputat ad hujus lib. II. 82 extrem.

Revertor ad Serapidem. Cujus dei simulacra fusco colore obducta fuisse conjicias ex eo, quod de Cnepho Aegyptiorum perhibet Eusebius praep. evang. III, 41; quem inter atque Serapidem tanta multarum rerum similitudo intercedit, ut pro uno eodemque a multis habeantur. Illum autem hic scriptor fictum ab Aegyptiis refert: τὴν ἐκ κυανȣ̃ μέλανος ἔχοντα. Cui loco jungendus est hic Clementis protrept. pag. 42, ubi ita de Serapidis imagine Sesostris jussu confecta: λεάνας τὰ πάντα καὶ ἀναμίξας ἔχρωσε κυάνω. Uti enim universe decernere hoc de colore non audet Schneiderus, ita hoc loco fuscum cogitandum esse arguunt et ea, quae supra exhibui, et praecipuè quod a veteribus Aegyptii dicuntur solem hibernum ἀΐδην nuncupasse indeque Serapin ipsum θεὸν ἀόρατον. Nec a Niliaco Serapide alienum esse fusci coloris symbolum, facile largietur, qui reputaverit, quo tempore Aegyptiis sol ad inferiora zodiaci signa redibat, hoc est hiberno, eodem Nilum quoque defecisse. Jam cum Nilometra, Serapidi consecrata, fere lapidea essent, conjicere liceat, placuisse Aegyptiis ad hunc usum lapidem sive purpurei, sive subnigri coloris. Atqui hunc colorem referebat is lapis, quem veteres quidem Syeniten vocabant, Plinius *) autem pyropoecilon dictum perhibet. Quod ipsum diserte narrare et Strabonem **) ut Heliodorum ***) dicas, si audias Jablonskium, qui in utriusque loco λίθον σύννομον interpretatus

*) H. N. XXXVI, 13. coll. 43. Huc item referunt nigros lapides, quos inter Philas atque Syenen se vidisse refert Strabo XVII, 1173.

**) XVVII, 1172, quem locum ex Heliodoro restituit Casaubonus.

***) Aethiopic. IX, 22. conf Coray ad h. l. not. pag. 312 de hac appellatione disputans.

est: *) lapidem Syeniticum. At vero falsus est hic vir: vertere debebat lapidem aequatum s. saxum quadratum, ita ut illa res, per se quidem satis probabilis, tamen posita sit in solâ conjecturâ.

Ac quoniam in lapidum symbolis versamur, haud alienum sit commemorare ex hoc genere artificium pertinens ad solis hiberni significationem. Etenim Rufinus **) refert, in Serapeo Alexandrino fuisse „signum solis, ex ferro subtilissimo manu artificis fabricatum, ut lapis (magnes), cujus naturam ferrum ad se trahere, sub ipso radio ad libram fuisset positum simulacrum, vi naturali ad se raperet ferrum, et assurrexisse populo simulacrum, et in aëre pendere videretur. Et ne hoc lapsu propero proderetur, ministri fallaciae, surrexit, ajebant, sol, ut valedicens Serapi decedat ad propria." Quae res non aliunde repetenda est quam e solis notione Aegyptiacâ. Erat enim Apis, sive bos Aegyptiorum sacer, animata Osiridis sive solis imago ***), qui sol aequinoctio verno se conjungebat tauri signo, quod ipsum occidebat autumnali aequinoctio, quo tempore sol ad inferiora signa recedebat. Quae posterior res Osiridis morte sepulturâque significabatur in Aegyptiorum sacris. Mortuus autem Osiris abit in Serapidem, hoc est, sol aestivus fit paullatim hibernus atque superorum rex ad inferos descendit, quo horum judex existat dominusque. Et sicut sol, redeunte vere, rursus revertitur ad superiora signa: ita Se-

*) Panth. IV, 3. 4.

**) Hist. eccles. II, 23.

***) Plutarch. de Isid. p. 525. coll. 503. add. Dupuis Origine de tous les cultes III, 513 seq.

rapis quoque mortuos ad vitam reducere aliquo certe tempore creditus *). Ac de Osiride, tanquam mortuorum judice, non est, quod copiose agamus. Est enim ea res pervulgata in veterum libris, eoque referendus locus est primarius apud Herodotum **), qui pro Iside Cererem, pro Osiride Bacchum nominans, sic narrat: *ἀρχηγετεύειν δὲ τῶν κάτω Αἰγύπτιοι λέγουσι Δήμητρα καὶ Διόνυσον.* Nec minus huc facit Heraclidis Pontici sententia, qui Serapin eundem esse dixerat cum Plutone ***) et Strabonis insuper locus de Serapeo prope Memphim *ἐν Νεκροπόλει.* Atque ea res ita movit virum Aegyptiorum sacris eruditissimum, ut ipsum ejus dei nomen ****) nihil aliud significare crederet, nisi Patrem sive Dominum tenebrarum. Mortuorum autem judicia exercentem Osiridem exhibent nonnulla artis antiquae opera, velut arca cadaveris Aegyptii Lethieulleriana in Museo Britannico, arca mumiae, quam Cairi vidit Niebuhrius. In quibus operibus mortuorum regis judicisque persona declaratur nunc flore loti sempiternae vitae et nunquam exhausti Nili symbolo, nunc stylo pugillaribusque, quos Anubis gerit, nunc librae lance in qua animi bona malaque imponi crederentur †). Loti tesseram supra attigi: de reliquis disputandi

*) Aristid. orat. laud. p. 96 seqq. Qui haec ad noctis diei que vices refert. Ibi Serapis dicitur: *σωτὴρ αὐτὸς καὶ ψυχοπομπός.*

**) II, 123. coll. Diodor. Sic I, 96 ibiq. interprett.

***) Plutarch de Isid. p. 482.

****) *adschaρaπις* Zoëga num. Aegypt. imperat. p. 80 seq.

†) Vid. Denonii itiner. Aegypt. tab. 141. coll. Zoëga de Obelisc. p 304. Idem vir doctus copiose disputavit de lupo, qui Osiridi attri-

nobis otium fecit virorum modo laudatorum insignis doctaque diligentia. Itaque hoc unum addo, quod et in veteribus lapidibus et vero etiam in mumiae Dresdensis involucro, uti videtur, obvium est. Εὐψύχει μετὰ τȢ̃ Ὀσίριδος. Quibus verbis nonnunquam additur illud: δοῖ σοι ὁ Ὄσιρις τὸ ψυχρὸν ὕδωρ. Namque eâ formulâ caris defunctis salutem apprecabantur *). Quod carmen quo pertineat, satis ea docere unumquemque possunt, quae supra de Serapide elementorum praeside eodemque defunctorum dominis monuimus.

Hac ipsa notione continetur illa altera, qua mortuorum regem, tanquam πλȢτοδότην sibi informabant veteres. Cujus rei jam Hesiodi aevo vestigia reperiuntur. Sunt enim apud eum poëtam δαίμονες πλȢτοδόται ipsi aureae aetatis homines, qui diem suum obierant **). Uberius explicatur illud argumentum Orphico hymno in eum δαίμονα ***), qui ibidem πλȢτοδότης dicitur. Ex quo haec sola subjicienda censui. —

Πλȣτοδότην ὁπόταν γε βρυάζων οἶκον ἐσέλθῃ,
Ἔμπαλι δὲ ψύχοντα βίον θνητῶν πολυμόχθων.
Ἐν σοὶ γὰρ λύπης τε χαρᾶς τε κλῇδες ὀχȣ̃νται.

buitur, tanquam custos orci, quem Amenthen Aegyptii vocant, vid. p. 307.

*) Gruteri inscriptt. 794, 3. Fabrett. 465, 19. In altera mumiarum Dresdensium, quae viri est, solaque ex omnibus, quotquot adhuc repertae, inscriptionem habet, Zoëga, de obelisc. p. 306 agnoscit εὐψύχει, quod eodem modo, quo diximus, supplendum existimat. De ea mumiae inscriptione cf. Beckeri Augusteum I, p. 20.

**) Ἐργ. 125 ubi cf. interprett. graecc.

***) LXXIII. (LXXII.)

Ex his quae altero versu leguntur, ea lucem accipiunt e scholiaste ad **Aristoph.** Plut. 727 *), unde discimus a **Sophocle** in fabula satyrica, cui nomen **Inachi**, Πλοῦτανα et Πλοῦτον fuisse confusos, celebratamque in eo dramate Πλούτωνος ἐπείσοδον i. e. Pluti in aedes ingressus cum omni bonorum copiâ. Nec minus in eam partem accipienda sunt, quae supra universe disputando, de **Plutone Divite** ex **Cicerone** protulimus et ex **Plutarcho** de Amenthe Aegyptiorum. Nec discrepat ab hac notione Homericus Πολυδέκτης sive Πολυδέγμων in hymn. in Cerer. vers. 9. 17. ubi plura dabit **Ruhnkenius**. Plutoni autem, sive Serapidi, eandem ob caussam adjuncta fertur γῆ μήτηρ, sive **Isis**. Quam Aegyptiorum sententiam explicans **Diodorus** hoc alterum excitat **) ex **Orphicis** carminibus:

Γῆ μήτηρ πάντων Δημήτηρ, πλουτοδότειρα.

Satis de Serapide et Plutone et fructifero.

Vidimus supra **Anubidem** adjunctum Osiridi. Qua de re paucis monendum est, priusquam eo perveniamus, quo tendimus. Jam primum Anubis in Aegyptiorum religionibus erat Sirii astri genius. Dictus autem ab iisdem **Sirius** minister respectu habito Nili, cujus ille praecursor esset, cum ex ejus ortu, qui Nili incrementa praecederet ***), auguria caperent Aegyptii

*) Cf. 16 **Hemsterhus.** ad h. l. ejusdemque not. ad **Luciani** Timon. p. 377. Bip.

**) I. 12. cf. Orphic. hymn. XL (XXXIX) 3.

***) Nili incrementorum auguria capta a sacerdotibus ope animalis, e genere caprarum Libyae, cui nomen: ὄρυξ. Ex Libycarum autem caprearum cornibus **pocula** fabricari solita refert **Aelianus** H. A. XIV. 16; ut igitur Nili praecursor Anubis fortasse, hoc etiam respectu,

de instantis anni felicitate. Unde Anubis astronomiae auguriorumque praeses exstitit, postea etiam cum Thotho confusus, sapientiae genio. Finxerunt autem Anubidem Aegyptii capite canino, cum propter animalis sagacitatem, tum propter consensum (συμπάθειαν), qua junctus credebatur lunae. Cum illo ministerio continetur alterum, quod Osiridis mortui cadaver delatum ad mare Nili aquis deducere fingebatur. Hinc idem ille apud veteres dicitur et Ὀσίριδος φρουρὸς et Isidis in quaerendo Osiridis cadavere comes *).

Hujus autem conjunctionis ac ministerii multa indicia servarunt antiquae Aegyptiorum artis reliquiae, quas diligenter collegit explicuitque Zoëga **). E quibus nunc ea tantummodo seligamus, quae faciant ad consilium nostrum. Etenim cum in arca Lethieulleriana tum in mumiae Bononiensis involucro ita fingitur Anubis, ut dextram manum imponat pectori cadaveris, sinistrà elatà teneat rem semirotundam, quam pro σπονδείῳ, seu vase libationis recte haberi docet idem vir doctus, quem modo laudavimus.

poculum gerere putandus sit. Et Bacchus quidem, humidae naturae dominus, cornu pro poculo gestavit antiquitus. Quam rem supra attigi, plura infra subjecturus. Ab orcâ autem, marinâ belluâ, cui et ipse nomen ὄρυξ, Festus orcae sive dolii vocem repetit. Illa Libyae capra habetur pro Tragelapho, vid. Schneider. ad Aelian. l. l.; quod vocabulum rursus ad pocula tractum est, vid. supra p. 34.

*) Diodor. Sic. I. 85. Proclus in Polit. Platon. pag. 417, ut alia omittam.

**) De Obelisc. p. 329 coll. 166. 224. 581. Quem virum nos in magnâ hujus loci de Anubide parte grati sequimur.

Atque ex Aegyptiorum Anubide Thothoque conflatus quasi Graecorum Ἑρμῆς. Cujus res continuo a nobis explicabuntur, quatenus in hanc disputationem cadunt. Et primum quidem constat inter omnes, in ipso Cabirorum numero haberi Cadmilum, quem alii Hermetem, alii Bacchum credebant esse. Hermetis autem ithyphallici in ipsis Samothraciae religionibus memoriam servavit Herodotus *). Quae dei species foecunditatis facile admonet ubertatisque, cujus vel praenuntium, vel administrum Anubidem, Sirii astri praesidem, Aegyptii habebant, quem etiam ἀγαθὸν δαίμονα Manetho nominat. Satis de his. Videamus de Mercurio Graecorum.

Notum est autem Ἑρμῆν superûm, ut cum Appulejo loquar, atque inferûm esse commeatorem. Quod cum latissime pateat per singulas Graecorum Romanorumque fabulas, subsistamus in Bacchicis. Atque in ipsis Bacchi natalibus primariae partes fuerunt Ἑρμȣ͂, qui non modo puerum e Semelae, ignibus coelestibus necatae, gremio suscepisse fertur, verum etiam maturatum Jovis femore Nymphis nutriendum tradidisse. In qua re narranda quantopere poëtae variarint, nunc quidem non attinet exponere **).

Alterum autem Hermetis ministerium, quod quidem defunctis praestatur, et ipsum repetebatur ex personâ Anubidis. Nam sicut

*) Il. 51. cf. Ciceronis N. D. II. 22 et interprett. ad utrumque locum Plutarch. an seni sit ger. resp. p. 201 Wyttenb. Cornut cap. 16. Juvenalis VIII. 53.

**) Euripid. Bacch. 520 Phoeniss. 651 ibiq. Valkenaerius Ovid. Metamorph. IV. 12 ibiq. Burmann. Meleagri carm. CXI. ibiq. interprett. Nonni Dionys. XXIV. 13. Eudociae Violar. p. 87. 118.

ex Aegyptiorum funeribus Graecorum commenta de inferis enata perhibet Diodorus *): ita ex Anubide dicit effloruisse Ἑρμῆν ψυχοπομπόν. Quam sententiam nunc non judicabimus. Illud volumus teneri, quod supra posuimus: tribui in veteribus Aegyptiorum artis operibus σπονδεῖον in libationis usum ei deo, quem Ἑρμῆν ψυχοπομπὸν dicebant Graeci. Et constat in θεῶν χθονίων numero habitum esse Ἑρμῆν. Cujus rei in ipsis Bacchicis caerimoniis memoria exstabat apud veteres Atticos. Qui quidem decimo tertio Lenaeorum die semina omne genus in ollâ coquere atque sacrificare solebant, sive soli Mercurio, sive et Mercurio et Baccho. Variant enim scriptores. Quod sacrificium piaculare fuisse, et Hermeti χθονίῳ oblatum Theopompus refert loco memorabili **), qui ita habet: διασωθέντας οὖν τοὺς ἀνθρώπους, ὅπερ ἐθάῤῥησαν ἡμέρᾳ, τῷ ταύτης ὀνόματι προσαγορεῦσαι καὶ τὴν ἑορτὴν ἅπασαν, ἔπειτα θύειν αὐτοῖς ἔθος τῶν μὲν Ὀλυμπίων θεῶν οὐδενὶ τοπαράπαν, Ἑρμῇ δὲ χθονίῳ· καὶ τῆς χύτρας, ἣν ἕψουσι κατὰ τὴν πόλιν, οὐδεὶς γεύεται τῶν ἱερέων. τοῦτο δὲ ποιοῦσι τῇ ἡμέρᾳ, καὶ τοὺς τότε παραγενομένους ὑπὲρ τῶν θανόντων ἱλά-

*) Lib. I. cap. 96 quam rationem ab Orpheo ad Graecos traductam dicit.

**) Servato a Scholiaste Aristophanis Ran. 218 et Suidâ s. χύτροι. Ex eodem discimus solitos fuisse homines priscos, quum simulacrum alicujus dei dedicaturi essent, legumina in ollis coquere, gratias agentes pro primo victu χαριστήρια ἀπονέμοντες τῆς πρώτης διαίτης. Additur locus ex Aristophanis Danaidibus (vid. Schol. ad Aristoph. Plut. 1197 ibiq. Hemsterhus. p. 475) ubi Jovis Hercei χύτραι commemorantur. Utebantur autem homines antiquitus pro illa simplicitate, sicubi Diis sacra facerent, vasis fictilibus, quod colligi potest ex loco Herodoteo V. 88. et diserte tradit Eratosthenes apud Athenaeum XI. 64 p. 286 Schw.

σασθαι τὸν Ἑρμῆν. Subjicitur fragmentum Philochori e sexto libro Atthidis. In illo festorum dierum ritu non minus memorabilis est, si Anubidem spectes, diluvii mentio, quam Ἑρμοῦ χθονίου χύτρα sive ollae Mercurio, piaculi loco, pro defunctis oblatae.

Atque haec praemittenda duximus, quo patefieret hydriarum crateramve usus, cum in Aegptiorum sacris tum in priscis Graecorum Romanorumque deorum tesseris, aperireturque ratio earum rerum omnium, quae adhuc in hac quaestione versantur. Quod ut, quoad ejus fieri possit, rite perficiatur, age proficiscamur a veterum testimoniis. Horum ordinem ducat illud Plutarchi *). Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον, ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι· καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. Hydriam autem ab Aegyptiis pro Osiridis symbolo usurpatam fuisse, magis etiam docent ea, quae idem scriptor de invento Osiride refert **) τῇ δὲ ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα νυκτὸς, ἐπὶ θάλασσαν κάτεισι, καὶ τὴν ἱερὰν κίστην οἱ στολισταὶ καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρουσι χρυσοῦν ἐντὸς ἔχουσαν κιβώτιον, εἰς ὃ ποτίμου λαβόντες ὕδατος ἐγχέουσι, καὶ γίνεται κραυγὴ τῶν παρόντων, ὡς εὑρομένου τοῦ Ὀσίριδος. Quae quantopere congruant loco Porphyrii de ἀνεῦξει Σαράπιδος non est, quod operose demonstretur. Plutarcho jungamus Vitruvium, qui loco hac in re classico ***). „Ex eo etiam, ait, qui sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere: itaque cum

*) De Isid. et Osirid. p. 496.

**) Ibid. p. 502 seq.

***) Praefat. libr. VIII. p. 206 ed. Schneider.

hydria aquae *) ad templum aedemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad coelum sublatis inventionibus gratias agunt divinae benignitatis." Ex quo loco quantum lucis accipiat haec nostra disputatio, apparet: nunc illud velim teneri, geminum hunc ritum Aegyptiorum esse ejus, qui obtinebat in Eleusiniorum die nono sive Πλημοχόῃ **). Cum Vitruvii autem loco congruunt haec Firmici Materni ***): „Aegypti incolae aquarum beneficia percipientes aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa votorum continuatione venerantur." Succedat e Clementis ****) narratione de sacra Aegyptiorum sacerdotum pompâ ea pars, quae ad consilium nostrum spectat, quam cum supra verbo attigerimus, nunc explicatius ponamus: — ἔπειτα ὁ στολιστὴς τοῖς προειρημένοις ἕπεται, ἔχων τόν τε δικαιοσύνης πῆχυν, καὶ τὸ σπονδεῖον. Deinde, paucis interjectis, ita: ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ προφήτης ἔξεισι, προφανὲς τὸ ὑδρεῖον ἐγκεκολπισμένος. Synesius †) praeterea globorum (σφαιρῶν) in sacris Aegyptiorum reconditioribus usum fuisse testatur, cum dicit, prophetas in pompa praeferre cistas, in quibus occultentur globi, quos si videat populus, indigne ferat. Nemo vero scriptorum has caerimonias magis ad oculorum sensum

*) Ita hunc locum pessime habitum a librariis, partim codicum ope partim ex conjecturâ, restituit vir κριτικώτατος Schneiderus, cujus animadversio pag. 90. seq. digna est quae consulatur.

**) Vid. supra pag. 118.

***) De Errore profanarum religionum pag. 2.

****) Alex. Stromat. VI. p. 758.

†) Encom. calvit. p. 73.

explicuit Appulejo *). Qui: „Gerebat alius, inquit, felici suo gremio summi sui numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non ferae: ac ne hominis quidem ipsius consimilem: sed solerti repertu, etiam ipsa novitate, reverendam, altioris utcunque et magno silentio tegendae religionis argumentum ineffabile, sed ad istum plane modum, fulgente auro, figuratum. Urnula faberrime cavata, fundo quam rotundo miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata. Ejus orificium altiuscule levatum in canalem porrectum longo rivulo prominebat: ex alia vero parte multum recedens spatiosa dilatatione adhaerebat ansa, quam contorto nodulo supersedebat aspis squameae cervicis striato tumore sublimis."

Quae singula insigniter illustrantur artis antiquae operibus. Unde nos potiora enotabimus. Atque in anaglypho Matthaeiono **) propheta ambabus manibus pallio obtectis ὑδρεῖον simillimum ei, quod Appulejus describit, sinui admotum sustinet. Et, quoniam in monumentis spectandis versamur, addamus continuo quod, quo pertineat deinde adparebit. Nimirum in ejusdem argumenti marmore, quod in villâ Rondininiâ servatur, propheta ὑδρείῳ loco gestat Canobi dei simulacrum; stolista autem alterâ manu gerit cubitum sive brevem baculum, altera arulam. Addit Zoëga loco laudato: „Scalptor enim pro spondeo, quod a stolista geri inquit Clemens, in manum ei

*) Metamorph. lib. XI, p. 693.

**) Bartol. admirand. Rom. antiq. vestig. tab. 68, et Montfaucon antiq. expl. II tab. 116. Confer praesertim Zoëgae gravissimi argumenti opus de obeliscis pag. 407.

tradidit pyreon ad mentem Porphyrii." Sequitur locus de ἀνίξει Σαράπιδος, quem supra adscripsimus. Ejus nunc meminisse velim lectores, nec minus in memoriam revocare Anubidem, qui passim in monumentis σπονδεῖον gestans conspicitur.

Jam cum universe advocaverimus scriptorum locos monumentorumque artis testimonia, experiamur, quid ex his sigillatim ad hanc causam efficiatur. Et primum quidem, si de ὑδρείῳ vel σπονδείῳ in iis caerimoniis usurpato quaeras: hoc ipsum ad Osiridem pertinere dubitare nos non patitur Plutarchus, diserte docens, aquâ significari humoris effectorem Osiridem. Nec minus ad Isidem pertinet illud symbolum. Nam et Appulejus l. l. Isiacam pompam commemorans urnulae injicit mentionem, nec aliud repraesentat anaglyphum Matthacianum. Accedit Servii testimonium, quod supra attigimus in loco de tesseris incrementorum Nili *). Nec anguium significatio aliena ab hoc numine. Quod proxime docebimus. Atque hoc symbolo non minus quam aliis rebus Isidis religio conferri potest sacris Bonae Deae. Quam in rem ita Juvenalis Satir. II, 86:

> Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae
> Et magno cratere Deam. —

Bonae autem Deae proprie tribuebatur crater, ut qui declararet affluentiam earum rerum, quibus hominum vita augeretur jucundaque redderetur ab iis praesertim diis deabusque, quibus bonorum (χρηστῶν) nomen esset. Cujus rei in Cerere quoque vesti-

*) Pag. 114 ibiq. Servius ad Virgil. Aeneid. VIII, 696. „Isis persistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat: per situlam, quam sinistra manu retinet, affluentiam omnium lacunarum, id est fossarum, in quas Nilus stagnans recipiebatur.

gia retinent Graecorum prisca simulacra. Sic, ut hoc utar, Autocrate teste apud Athenaeum*) in Achaja haec dea colebatur pocula gestans Δηήτηρ ποτηριοφόρος. Haec eadem vestigia legit Winkelmannus**) cum explicaret vetustum anaglyphum, in quo sibi et Cererem et Bonae Deae craterem videretur deprehendisse. Eorundem deorum numero habendus praeterea Aesculapius, in quo deo laudando bonarum jucundarumque rerum mentionem cum crateribus copulavit Aristides***) Ita enim ille de Asclepiadis: καὶ προσέτι ἱεροποιοὶ τε καὶ ἐπιστάται κρατήρων καὶ χαρίτων ἁπασῶν. Eandem autem vim habet Bacchi crater, tanquam ejus, qui et ipse in bonis diis est, quod infra breviter monstrabitur. Nunc illud velim teneri, quod, quoties ejusmodi symbolorum mentio fiat, toties fere eadem velamento obvoluta dicantur. Sic in illo Virgilii****) loco de Trojanorum Penatibus vittae memorantur, sic a Strabone IX pag. 643 Delphis fuisse traditur ὄμφαλός τις τεταινιωμένος, sic Isidis orbiculatae, cujus effigiem tabula prima †) habet, occiput velamine involutum vides; similiter in marmore apud Winkelmannum proxime laudato dearum una sinistrâ craterem operit. Atque huc referendum etiam illud Appuleji: „gerebat alius felici suo gremio summi numinis venerandam effigiem."

*) XI, 2 pag. 188 Schweigh.

**) Monumenti antichi ined. nr. 16.

***) in Asclepiadas orat. p. 82 c.

****) Aeneid. II, 293, 297 seq.

†) Ad calcem libri nostri tab. I nr. 4, desumta ex Schlichtegrollii gemm. Stosch. I, nr. 12.

Quibus respondet Clementis ἐγκεκαλυπισμένος. Quae res ad oculorum sensum traducitur anaglypho Matthaeiano, ubi propheta ambabus manibus, pallio obtectis, hydriam gestans conspicitur. Et hujusmodi exemplorum affatim habent monimenta, quae non attinet congerere. Illud attingam, quod ad Serapidis significationem pertinet. Nam primum constat inter omnes, hunc deum et ipsum velatum exhiberi in artis operibus. Jam cum supra in Canobicarum religionum descriptione *), quibus Serapis celebratus, vocem Κάπυρις memoratam viderimus, adjuncta vestimenti notione, quae eadem in vocabulo Σάραπις inest: dicat forte quispiam Serapim significare deum velatum. Cumque Persica dicantur haec vestimenta, et Serapidis mentio ab eo inde tempore frequentetur apud Graecos, ex quo hi in Persarum venerant notitiam, habeatur fortasse Serapis pro Persico deo, nisi serpentes prohibeant, qui eidem attribui solent, a Persis pro mali genii mortisque symbolo habiti. Qua de re non magis libet hariolari, quam de Hebraeorum Theraphimis, quos nonnulli eosdem esse opinantur atque Aegyptiorum Serapides **). Hoc unum liceat subjicere de Sarapide, tanquam mortis arbitro sepulcrorumque praeside, repetitum e graecis scriptoribus. Videlicet apud antiquissimos ex eo genere,

*) Vid. pag. 120 ibiq. Strabo.]

**) Vid. Seldenus de Diis Syris Cap. II, Synt. I, p. 22 seq. cf. Appendix p. 200 seqq. Obloquitur Witsius Aegyptiac. pag. 75. Qua de re qui pluribus velit edoceri, adeat commentationem J. D. Michaelis de Teraphis. cf. Jablonskii comment. de Remphan. opuscull. II, p 19. Zoëgae numi Aegypt. imperat. p. 78 seqq.

velut Aeschylum *) sepulcri et vestimenti notiones inter sese permutatae reperiuntur. Qua de re plura monendi otium nobis fecit summorum virorum diligentia **).

Revertor ad Appulejum, qui aspidem dicit supersedisse sacrae urnulae ansam. Quod et ipsum confirmatur monumentorum artis testimonis. Plane enim ita serpentes superimpositos vides ansae vasis sacri, quod exhibuit Begerus ***). Cum vero serpentes in sacris exhibitos cogito, video me delapsum in eum locum, qui solus justi voluminis argumentum suppeditet. Itaque me continebo in ea parte, quae cum Bacchicis rebus conjunctior judicatur. Ac primum bonis diis salutaribusque proprie adtributus serpens. Cujus rei caussam reddit Eusebius ****) in loco de Aesculapio: ὁ δὲ ὄφις περισπείρεται, τῆς περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν σωτηρίας φέρων σημεῖον· (καὶ μὴν ὑφιστάντες ἡμῖν τὸν κόσμον οἱ φυσικοὶ, τὰ περὶ τὴν γῆν ἰλυσπώμενα τῶν ζώων, τῆς παχύτητος καὶ γεώδους ᾐτιάσαντο οὐσίας) πνευματικώτατον γὰρ τὸ ζῶον ἐστι, καὶ τὴν ἀσθένειαν τοῦ σώματος ἀποδύεται· δοκεῖ δὲ καὶ ἰατρικώτατον εἶναι. τῆς γὰρ ὀξυδορκίας (leg. τῇ γὰρ ὀξυδορκίᾳ) εὗρε τὸ φάρμακον. καὶ μυθεύεται τῆς ἀναβιώσεως εἰδέναι τινὰ βοτάνην. De fabulis, quas Eusebius memorat, diximus alias, cum earum unam

*) In Agamemnone 881.

**) Hemsterhusii ad Hesych. s. ἐπιέσασθαι γῆν, Valkenaerii in epistola ad Roeverum p. 370 (opuscull. ed. Lips.) cf. Kusterus ad Suid. in λάινον ἕσσο χιτῶνα.

***) Thesaur. Brandenb. III, 302.

****) Praepar. Evangel. III 11. p. 112.

Xanthi fragmentis illustraremus *). Nunc teneamus illud, ita tulisse veterum sive opinionem sive scientiam, ut per serpentes nunc τὸ ἐγχώριον, solum patrium, indicari vellent, nunc vitam, salutemque atque incolumitatem, nunc vero etiam ipsam immortalitatem, utpote quibus vis terrena inesset efficax et solertia quaedam salutarium herbarum rimandarum. Quibus, in circumvoluto angue, orbis in semet redeuntis aeternitatisque accessit significatio. Quae singula quantopere ad hos deos deasque faciant, qui boni dicuntur, unicuique patet. Quocirca per se credibile est, Isidi serpentem fuisse dicatam. Quod etiam certa scriptorum testimonia confirmant, ut hoc Valerii Flacci de Jö:

— — — jam divis addita, jamque
Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro **).

*) Fragmentt. histor Graecor antiquiss. I, pag. 193 seqq. et Argum. pag. XVIII. Quos ibi laudavimus scriptores, iis praeter Sprengelium addatur Schulzii Historia medicinae pag. 135. In Eusebii loco reposui τῇ ὀξυδορκίᾳ Schol. Aristophan. Plut. 733 δράκοντες δὲ λέγονται ἀπὸ τοῦ δέρκω ὅ ἐστι βλέπω, ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον.

**) Argon. IV, 417. Ad quem locum Burmannus plura suppeditabit de anguibus Isiacis. Unde sub illo vase Isidem latitare suspicatus est Begerus l. l. Anguium Isiacorum rationem e signis coelestibus repetit Duposius (Dupuis) in libro, cui titulus Origine de tous les cultes, IV, 2, p. 687 seqq. ita quidem, ut Cererem eandem ponat cum Iside, quarum utraque in Sphaerâ Virginis nomine veniat. Itaque anguem in Isidis urna explicandam esse ex antiquae sphaerae descriptione, quae sic habeat: Virgo pulcra, capillitio prolixo, duas spicas gestans; pars caudae draconis, crater. Quod vero Isis inter duos serpentes ponatur, Ceresque curru vehatur juncto duobus serpentibus, id eodem pertinere, quod Virginis signum in coelo ab altera parte serpentem habeat, ab altera hydram, cui crater impositus sit; qui quidem non diversus sit ab eo, quem Cereris mysteria consecrarint.

Serapidi autem serpentes attribui notum est. Cujus rei duplex praecipue reddi ratio potest; altera si mortis auctorem arbitrumque respicias. Quae notio cum hiberni solis significatu quomodo contineatur, supra intelleximus. Quod quidem spectantes ii, qui in fabulis rationes astronomicas sectantur, Serapidis serpentes e signo coelesti Anguiferi, sive Opiuchi explicare studuerunt. Nec aliunde repetendam censuerunt nominis originem, cum ex Hebraeo Chaldaicoque etymo Sarap (serpens) Sarapin manasse dicerent. Altera ratio anguinm Serapidi adjunctorum repentenda est e similitudine, quae inter hunc deum intercedit atque Aesculapium. Quos plane etiam inter se confusos Tacitus auctor est loco supra adscripto, ut alios taceam. Ac simillimos inter se esse hos deos, cum insignibus, tum muneribus, negari nequit. Quapropter locis etiam finitimis utrinsque templa reperimus, nec minus Isidis, Hygiaeque, velut apud Eleutherolaconas **). Cur autem Aesculapio dicatus serpens, satis docent ea, quae in antecedentibus adscripti ex Eusebio ***).

*) Dupuis Vol. III. p. 515, 516, 914 seq. Unde et Chrisnae, Indorum dei, cujus calces ab angue admorsae feruntur, cultum et sanctiora quoque Christianorum vaticinia explicari video. Quibus de rebus equidem non decerno.

**) Pausanias III. 22 extrem. Quod vero Aesculapium, referente Pausania, a Patrensibus etiam Serapim dictum esse tradit Dupuis III. 1. pag. 34 et IV. pag. 84: in eo plane fallitur. Locus Pausaniae est Achaic. XXI. § 6 p. 315 Fac. ubi nihil traditur nisi hoc: Duo templa Patris habuisse Serapim, et praeterea Patrensibus fuisse sacrum Aesculapii.

***) Adde Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. 733 ibiq. laudatum Meibomium ad Jusjur. Hippocrat. cap. 5. §. 26., et Boettigerum

Videamus de vasis sacris. Eorum bina nuper in manibus tractavi, utrumque geminum ejus, quod Begerus in thesauro Brandenburgico III. 302 vulgavit, ita tamen, ut alterum praeterea Aesculapii mentionem habeat figurasque extrinsecus additas *). Hoc quidem continuo Appuleji admonet, qui loco supra excitato urnulam sacram „miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiatam" refert. Quae res quum conjuncta sit cum nostro argumento, delineandum curavi hoc vasculum, ita ut figurae, quo melius dignoscerentur, sejunctae exhiberentur in tabulae margine **). De serpentibus ansae vasis nostri implicatis diximus supra. Rursus autem conspeximus serpentes in figuris infra exhibitis, ita quidem ut altero circumplicaretur arbor, altero pes hominis sacram dapem offerentis. Quod sacrificii genus utrinque lucem accipit, cum scriptorum veterum locis, tum numorum testimonio. Et primum quidem, serpentes hoc loco cogitandi sunt ii, qui apud Aegyptios praesertim Agathodaemones dicerentur, sive boni

in Curtii Sprengeli libro, qui inscribitur: Beiträge zur Gesch. der Medicin. Vol. I. part. 2. p. 177.

*) Fuerunt haec vascula aenea in rebus Hackerti, pictoris celeberrimi, qui nuper Romae egit, jamque servantur eadem Darmstadii in museo Augusti Magni Ducis Hassiae. Cujus egregia liberalitas facile concessit, ut eam rem in notitiam doctorum hominum proderem, intercedente Ejus consiliario Schleiermachero, qui haud vulgari artium scientiâ valet. Hujus item filius humanissime, ut est humanitatis literarum amantissimus, me in hac re procuranda adjuvit.

**) Vid. ad calcem hujus libri tab. III. nr. 1. ibique praeterea in margine subjectam imaginem. Superne legitur ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ. In quo vase illustrando sola ea elegimus, quibus consilium nostrum contineretur. De ceteris quominus dicamus, prohibet hujus commentationis modus.

genii *). Placentae autem oblatae draconi Minervae arcis custode, qui inde οἰκουρὸς δράκων dicebatur **). Magis autem huc facit Virgilii locus de Aenea, Anchisi post excessum sacra instaurante ***), unde haec subjiciemus:

— Ille agmine longo
Tandem inter pateras et laevia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.

Quo in loco, sicut in vase Darmstadino, pateras deprehendimus, serpentemque τὰς χοὰς degustantem. Atque eum locum expressit Valerius Flaccus ****), cum refert ad placandos caesorum in acie Manes celebratum a Jasone sacrificium:

Dixerat, et summas frondentibus intulit aris
Libavitque dapes, placidi quas protinus angues
Umbrarum famuli linguis rapuere coruscis.

Quod vero supra numis diximus hanc rem illustrari: eum cogitavimus †) in quo: Serpens adsurgens fruges in ara

*) Herodot. II. 74 ibiq. interprett. Lamprid. in Heliogabalo p. 28 ibiq. interpr. Cnuphis autem, sive Cnephus, Aegyptiorum, cui serpens pro symbolo, dicebatur ὁ Ἀγαθοδαίμων.

**) Herodotus VIII. 41 ibiq. Valkenaerius. De μελιττούταις, sive placentis, quae serpentibus offerrentur, consule Hemsterhusium ad Lucian. Dial. Mort. Tom. II. p. 411 Bip.

***) Aeneid. V. 90. ibique Heynius.

****) Argonaut. III. 456.

†) Havercamp. num. 34 Eckhelii D. N. V. VIII. pag. 307. In vasis quoque Etruscis apud Passerium III. Nr 249 conspicitur arbor, quam draco multiplici volumine circumit, additus Atlas coelum sustinens;

positas adlambit, pone arbor. Utor verbis Eckhelii, qui, eo numo inferiarum ritum repraesentari censet, „in quibus dapes arae imponi sint solitae, quae offerrentur dis Manibus, dicerenturque silicernium, adlabens vero serpens, epulasque depascens crederetur esse famulus ejus, cui inferiae actae sint." Quae non usquequaque in nostrum vasculum cadere apparet. Congruit tamen arbor in hac re, nec alienus censendus sit serpens tanquam umbrarum famulus, si Serapim cogites, cum Aesculapio sive conjunctum sive confusum. Nobis tamen sufficiat in hoc vase demonstrase sacrificium oblatum Aesculapio, cujus sacer famulus serpens arborem circumplexus sacras dapes a sacerdote objectas depasceret. Nec alieni a Bacchicis sacris, cum publicis tum reconditis, serpentes, quod infra breviter monstrabimus.

Redeo ad pompam Isiacam. Nam in marmore Rondininiae villae, quod illam exhibet, duo explicanda restant, alterum, quod in eo propheta hydriae loco Canobi dei gestat simulacrum, stolista autem altera manu arulam sive πυρεῖον gerit. Jam illud quidem continuo intelligetur, ubi ad res Canobi redierimus: hoc posterius antea exponendum est, quam ad alia progrediamur, praesertim cum hoc ad vasculum Darmstadiuum vel maxime faciat. Etenim hoc ita comparatum est, ut non modo crateris, verum etiam lucernae usum videatur

igiturque haec imago ad res Herculis referenda. Eodem referendum vas e Paesti ruderibus erutum, quod nuper vulgavit docteque illustravit Millinus V. C vid. Ejus Peintures de Vases antiques tab. III. ad eamque animadversa pag. 4. seqq.

praestitisse, si canalem spectes, longius extensum, vel ut Apuleji verbis utar: „orificium altiuscule levatum in canalem porrectum longo rivulo prominens.“ At de lucernâ tamen, quae, quod supra monuimus, Serapidi Aesculapioque sacra, nihil prorsus addit Appulejus. Audio. Ne vero dubites lucernas crateribus jungi solitas, proferam alius scriptoris testimonium: Etenim Scholiastes Nicandri *) ad locum poëtae de κερνοφόρῳ, sive Rheae antistita, sacris furoribus acta, haec nos edocet: κερνοφόρος, ἡ τοὺς κρατῆρας φέρουσα ἱέρεια. κέρνους φασὶ τοὺς μυστικοὺς κρατῆρας, ἐφ᾽ ὧν λύχνους τιθέασι· ζάκορος δὲ, ἡ νεωκόρος, καὶ βωμίστρια, καὶ ἱέρεια τῆς κρατηροφόρου Ῥέας. Ei jungamus Pollucem **) ita tradentem: τὸ γὰρ κερνοφόρον ὄρχημα οἶδα ὅτι λίκνα; ἢ ἐσχαρίδας ἔφερον. κέρνα δὲ ταῦτα ἐκαλεῖτο. Quibus testimoniis omnis dubitatio eximitur, consuevisse veteres in aliquot sacris reconditioribus lucernas crateribus imponere. Nec minus teneatur in loco Pollucis thuribulorum mentio. Praeterea de κέρνῳ et κερνοφόροις

*) Alexiph. vers. 217. Ceterum illud ἐκερνοφόρησα erat etiam in sacris tesseris, quibus initiati se invicem cognoscerent. De mysteriis Cybeles hoc narrat Clemens Protrept. p. 14. Itaque κέρνοι revera erant μυστικοὶ κρατῆρες. Videntur autem iidem usurpati fuisse in pompâ Dionysiacâ.

**) Onomast. IV. 103 cf. Hesychium s. v. Huc etiam fortasse referendum cymbium in loco Appuleji de pompâ Isiacâ, Met. XI. p. 372 in medio sui patore flammam suscitans. Cymbium enim proprie poculi esse genus docent veterum loci: Eratothenis ap. Athen. XI p. 285. seq. Varron. ap. Nonium XV. 21. Macrob. Saturn. lib. V. cap. 21. Virgil. Aeneid. III. 66. V. 267. L. 32 §. 1 Digest. de Auro, argent.

duo exstant duorum scriptorum loci apud Athenaeum *) alter Ammonii isque contractior alter explicatior Polemonis, unde discimus, cernum non minus, quam vannum in Liberalibus, continuisse pancarpiam et fructus omne genus, in quibus, ut alia taceam, et papavera inessent, quae diis χθονίοις sacra fuisse constat **).

Jam eo disputationem deduxisse mihi videor, quo earum rerum, quas adhuc in ambiguo servavi, idonea ratio reddi a me possit, ita ut non modo crateris mundani ***) usus in veterum sacris plane intelligatur, sed etiam ut penitus constet de Canobi historiâ mythicâ. Quod quidem quam primum faciendum est, ne forte mihi, qui tam multa de ollis disseruerim, occinatur illud, quod de rebus vanis irritisque in Graecorum proverbio est: χύτραν ποικίλλεις.

Ac primum, licet ea conjectura, qua Hermetis laternam astrologicam Athenaeo obtulimus, suis argumentis niti videretur, tamen adhuc in medio reliquebatur, quid sit illud quod ex eodem vase, sive lucerna, sive thuribulo, libari dicatur. Quo factum est, ut vel ii, quibus illa conjectura probata esset, in quibus etiam Athenaei editorem nominare

*) Lib. XI. pag. 265 et 271. Schw.

**) Spanhem. ad Callim. Cer. 44. Apoll. 110. Mitscherlichius ad Homer. hymn. Cer. 13. Ad papaverum significationem nuper etiam jussit attendi doctissimus Krebsius in annalibus literar. Heidelbergensibus 1808 fasc. XI, p. 403.

***) Apud Athen. XI. pag. 269. conf. Commentat. prim. pag. 25, 28 seqq.

liceat, hanc tamen difficultatem a me sublatam vellent. Atque haec nunc et ipsa prorsus tollitur. Vidimus enim in Aegyptiorum monumentis Anubidem sive Mercurium τὸ σπονδεῖον gerentem, non solum tanquam Nili crescentis praecursorem, verum etiam tanquam ψυχοπομπὸν *). Vidimus pro σπονδείῳ, quod a stolista geri dicit Clemens, eundem illum in marmore Rondininio πυρεῖον sive ἰπνὸν gestare. Revocamus in memoriam Porphyrii narrationem de ἀνοίξει τοῦ Σαράπιδος, quam is dicit peractam esse διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος, addens λείβοντος τοῦ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντος. Atque hic mos libaminis commemoratur tanquam proprius Osiridis sive Serapidis; unde ab Aristide **) hic deus dicitur: αὐτὸς ὁ μόσπονδός τε καὶ ὁ τὰς σπονδὰς δεχόμενος. Ex quo satis intelligetur, quid sit illud Athenaei σπένδεσθαι in mentione, sive sacri thuribuli, sive lucernae. Utriusque enim instrumenti in eadem re commemoratur usus: ἐσχαρίδων apud Pollucem, λύχνων apud Scholiasten Nicandri, ut praeter libamen, quod Serapidi, humidae naturae domino aquâ fiebat, in eodem deo tanquam solis ignisque praeside colendo, flamma monstraretur, et quidem bifariam, nunc lucernâ adhibendâ nunc thuribulo. Lucerna vero interdum juncta crateri, quod credibile est factum nonnunquam fuisse ellychnio solo imponendo, ita ut oleum aquae infunderetur. Atque huc fortasse referendum vasorum Darmstadinorum orificium in canalem prominens; ita ut illa pro

*) Caput caninum hydriae impositum, quod pro Anubidis habetur, subjecimus infra tab. nostr. II. Nr. 1. e Montefalconii (Montfaucon) Antiq. expl. Tab. LXXXVIII. nr. 8.

**) Orat. in Serap. 97. c.

κέρνοις habeas, nisi forte hoc solum prohibeat, quod κέρνοι apud Athenaeum fictiles ferantur fuisse. Ex eodem ejus scriptoris loco teneamus praeterea illud, quod cernus fructuum omne genus continere traditur. Quo ipso egregie illustrantur illa de Hermetis laternâ sive cratere: ἐξ ὧ τῶν θεῶν τὰ θαύματα καὶ τὰ καρπώσιμα γίνεσθαι ἐπὶ γῆς. Itaque in cerno fructus condebant significantes vim divinam, in fructibus procreandis conspicuam. Jamque nostra ratio concludi poterit, ita ut dicamus: habuisse illud vas mirificum mysticumque significationem coeli cuncta circumplectentis siderumque in eo labentium, nec minus terrae, quatenus recipit omnia conditque quatenusque foecunda redditur naturae vi igneâ humidâque, quam administrat Osiris, qui et Serapis et Bacchus inque θεῶν χθονίων numero habitus. Cui adjunctus comes Anubis, sive Ἑρμῆς, sacra illorum munerum instrumenta nunc craterem, nunc lucernam laternamve (ἴπνον), nunc thuribulum gerens fingitur.

Similiter jam quidem universa Canobi aperitur ratio. Quod-priusquam a nobis fiat, pauca praemonenda sunt de auctoribus fabulae. Eam autem primus fortasse prodiderat Hecataeus Milesius, nisi malis haec prius celebrata fuisse a rerum Troicarum poëtis, cyclicis maxime, qui praetermissa ab Homero supplere solerent. Illum quidem diserte laudat Aristides, loco classico *)

*) Vid. supra pag. 123 seq. Fabulam de Helena cum Paride in Aegyptum delata attigit etiam Philostratus in Heroicis pag. 100 et 244 ed. Boissonnad. Reliquos scriptores, qui de Canobo, citavi supra l. l.

Hinc credibile fit, ex illius λογογράφου narratione fluxisse multa, quae profert Nicander *) hujusque Scholiastes. E Nicandro autem rursus sua desumsit Aelianus **) cujus verba subjiciam: Τούτῳ φασὶ τῷ θηρίῳ (haemorrhoidi) περιπεσεῖν ἐν Αἰγύπτῳ τὸν τοῦ Μενέλεω κυβερνήτην Κάνωβον, Θώνιδος βασιλεύοντος· καὶ συνεῖσαν τὴν Ἑλένην τοῦ δακέτου τὴν ἰσχὺν, κατάξαι μὲν αὐτοῦ τὴν ῥάχιν, ἐξελεῖν δὲ φάρμακον· ἐς τίνα δὲ ἄρα χρείαν ἔσπευσε λαβεῖν τὸ θησαύρισμα, τοῦτο οὐκ οἶδα. Posteriora haec ad famam pertinent, quae Helenam ferret veneficia factitasse. Et ferebantur multa de ejus feminae rebus, quae nunc apud Homerum non leguntur, e quibus hoc unum commemorabo conjunctum cum argumento nostro. Narrat enim Plutarchus ***), aureum illum tripodem, qui a piscatoribus e mari exceptus ad septem deinceps sapientes pervenit, demersum ab Helena oraculi veteris monitu: — χρυσοῦς ἐφάνη τρίπους ἑλκόμενος, ὃν λέγουσιν Ἑλένην πλέουσαν ἐκ Τροίας αὐτόθι καθεῖναι, χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ. Satis de cratere Helenae, videamus de comite hujus Canobo cujus simulacrum crateri additum fertur in fabulis.

Quodsi enim harum originem caussamque quaeris, jam singularum commoda reddi ratio potest. Neque enim, ut hinc

*) In loco de haemorrhoide serpente Theriacor. 282. Ejus loci partem tractavit Valkenaerius ad Theocriti Adoniaz. pag. 248 seqq.

**) Hist. Animal. XV. 13, observante Schneidero V. C.

***) Vita Solon. cap. 4. De medicamento Helenae vid. Ejusdem Symposiac. I. 4. pag. 480 Quam rem ad medicinae primordia traxerunt, qui de his disputarunt viri docti.

ordiar, nunc quidem obscurum est, cur Canobus dicatur gubernator, si teneas, quae supra *) de Pataecis commemoravimus, qui rotundâ figurâ et ventrioso habitu in navibus collocarentur a piscis hominibus, ita ut Canobum et ipsum pro Pataeco habeas. Intelligitur porro cur idem in fabulis Amyclaeus dicatur addaturque Laconi Menelao comes. Laconia enim et finitima regio retinebat postea quoque priscae religionis vestigia, quae deos et ollares et ovatos ventriososque haberet. Hoc satis docet Pausanias in eo loco, qui est de cubitalibus Eleutherolaconum diis **). Atque illi Serapim quoque cum Aesculapio colebant, ut proxime, eodem teste, firmavimus. Eosdem Lacones, ut erant in omnibus tenaces prisci moris, priscorum Dioscurorum symbola, ova, in fanis servare vidimus. Nec minus aperitur ratio victoriae, quam Canobus de Chaldaeorum deo reportasse ferebatur ***). Quae fabula, dubitari nequit, quin efficta sit ex perversâ interpretatione earum rerum, quae in ἀνοίξει Σαραπίδος fiebant, quando ignis cum aquâ copulatus monstraretur. Serapis enim est Deus Canobicus. Intelligitur praeterea Canobi obitus, serpentis morsu necati gubernatoris. Nimirum hydriae Serapidi sacrae, cui anguis junctus esset, species, homini Aegyp-

*) Pag. 136 seq.

**) Vid. supra p. 133. coll. 122.

***) Supra p. 115 et 128. Huc Canobus spectat flammae impositus in gemmâ ap. Kircherum Oedip. Syntagm. XIV. cap. 8. t. III. p. 448 et Schlaegerum de numo Hadrian. p. 88. Unde eam effigiem delineandam curavi, vid. infra tab. nostr. II. nr. 2.

tiorum symbolorum ignoranti, ista illo modo effingendi occasionem praebuit. Etiam uxoris quam Canobo Epiphanius jungit, reddi ratio potest. Dicitur ea Εὐμενεϑὶς, vel potius Μένεϑις. Quod apprime huc facit, sive Aegyptiam vocem explices amantem Dei, sive Deam maris *). Est enim Canobus, sive Serapis, maris dominus. Est idem in Cabiris, sive diis bonis, in quibus toties amor benificaque natura praedicatur. Et Pluto, qui rursus idem cum Serapide, nec minus Bacchus, dicebatur apud veteres, Orphicos praecipue, Aegyptiorum discipulos, Εὐβουλεύς **), quod prudenter consuleret hominum commodis. Cujus rei etiam finitima Canobitarum urbi loca vestigia retinent, quandoquidem fossa quaedam Nili, per hanc regionem ducta, teste Strabone, ἀγαϑοδαίμων nuncupabatur. Et intelleximus supra, simillimum in multis esse Canobum sive Serapidem, Cnepho, qui ἀγαϑοδαίμων dictus. Erat igitur, ut finiamus, Canobus nihil aliud nisi hydria, qua repraesentatus Deus bonus, Serapis, aquarum, solis, ignisque dominus, imposito capite, adjuncto angue,

*) Jablonskii Voces Aegypt. 140.

**) Hesych. s. hac voce cf. Gesnerus ad Orph. Hymn. 28, 8 41, 2. 71, 3.

additoque subinde thuribulo. Atque eam rem Graecorum ingenium, parum sollers in Aegyptiorum symbolis percipiendis, a religionum sanctitate ad fabularum ludibrium traduxit minutatimque ornavit.

Haec omnia monuimus Bacchi gratiâ. De quo deo nunc sigillatim videndum est, ut ejus res, digestae per suos locos, quoad ejus fieri possit, in luce collocentur. Horum locorum primus est de Dionyso Pelasgio, ut intelligatur, quae ejus vetustissima fuerit apud Graecos species religioque. Quae res nunc quidem paucis confici potest, ita ut insigniora seligantur; quae, sicut de Cabiris Pataecisque, sic etiam de Dionyso praedicari solent.

Ac primum, ut jam omittam illud, quod Cicero Cabiro patre natum dicit unum e Dionysis *), alio loco vidimus diserte in Cabiris numerari Διόνυσον, Serapidemque in duobus principibus diis haberi a Varrone **). At vero obloquitur Herodotus, qui Bacchica sacra sero in Graeciam adlata dicit ***). Et quidem hunc locum a nonnullis accipi video, ut de Baccho, tanquam posterioris aevi deo, loquantur. Contra, qui Herodotea verba penitius inspexerit, Ἔθυον δὲ πάντα πρότερον οἱ Πελασγοὶ— Διονύσου δὲ ὕστερον πολλῷ ἐπύθοντο, is plane intelliget, quanquam

*) Vid. supra p. 151.

**) Scholiastes Apollonii I, 916. Varro de L. L. IV, 10.

***) II, 52.

multo post ceteros deos, tamen nec minus Pelasgiâ aetate, Dionysum in Graeciam pervenisse. Nec pugnantia continet ejusdem locus de Melampode *) — Ἕλλησι γὰρ δὴ Μελάμπους ἐστὶ ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ Διονύσου τό, τε οὔνομα, καὶ τὴν θυσίην, καὶ τὴν πομπὴν τοῦ Φαλλοῦ κ. τ. λ. Incidunt enim Melampodis natales in annum ante Chr. 1368**), quo tempore Hellenis progenies, ex qua idem ille vates erat, cum Pelasgis de possidendâ Graeciâ hinc inde adhuc concertabat. Quo ipso satis restringitur illud, quod vulgo de sacris Bacchi sero per Graeciam vulgatis praecipitur. Neque enim commemorabo Bacchum Semeles filium, quem multo ante natum faciunt***), et facile largior ex ipso Herodoti loco effici illud, ut apud ipsos Aegyptios Osiridis dei phallique cultus haud paullo recentior esse putandus sit, quam

*) II, 49.

**) De quibus docte, ut assolet, dixit Larcherus in chronologia Herodot. p. 199 seqq. cf. p. 575. Igitur Melampus duodecim fere annis minor Orpheo, a quo alii Bacchica sacra ad Graecos translata tradunt, Euseb. praep. evang. II, 1, p. 47. De Melampodis rebus vid. Heynium ad Apollodor. I, 9, 12 et passim; interprett. ad Herodot. l. l. Ferebatur Hesiodeum carmen, cui nomen Μελαμποδία, Fabric. B. Gr. I, 115 seqq. ed. Harlesii.

***) Herodot II, 145. Διονύσῳ μέν νυν τῷ ἐκ Σεμέλης τῆς Κάδμου λεγομένῳ γενέσθαι, κατὰ ἑξήκοντα ἔτεα καὶ χίλια μαλιστά ἐστι ἐς ἐμέ. Sequor in his rationes Wesselingii, Larcherique. Hic quidem Bacchum, Semeles filium, natum ponit a. 1544 ante Chr. Huc facit Semeles genealogia in Eudociae Violar. p. 374. Accuratius autem distinguemus τὸν Διόνυσον βακχεῖον a Dionyso Semeles, ubi ad Thracia sacra devenerimus. Quo ipso apparebit, quatenus Dionysus novissimis deorum accenseatur.

ceterorum deorum religio. Ac de phallorum pompâ, ab Aegyptiis duci solitâ, de qua et ipse Herodotus egit loco classico *), non est quod hic dicamus. Neque magis morabimur aut vocabuli etymologiam in quâ explicandâ mirifice hariolantur Graecorum grammatici, aut ipsius symboli variam speciem. Qua de re qui edoceri cupiat, consulat eos, qui hoc super argumento nuper copiose disputarunt **). Nos haec duo teneamus: primum, phallorum significationem a Graecis ad Cabiria sacra referri, deinde eosdem mature habitos esse in Graeciâ pro symbolo virtutis genitricis, foecunditatis adeoque immortalitatis.

Illud quidem satis docet ipse historiae pater, cum dicit erectae Mercurii naturae rationem arcanam reddi in Cabirorum sacris, quae a Pelasgis tradita ad Samothraces pervenissent ***). Geminus autem hac in re Hermetis erat Aegyptiorum Osiris, quem

*) II, 48.

**) Jablonskius in vocib. Aegypt. p. 367 Φαλλὸν ex Aegyptiaco sermone repetit, ita ut prima pueri in ea voce insit significatio. In alia abit Zoëga de obelisc. p. 213 seqq., qui de universa hac re doctissime egit, primam ascendendi notionem ex Aegyptio vocabulo repetens. Omitto ea, quae nuper admodum Kannius hoc super argumento excogitavit. Φαλλαγάγια Aegyptiorum phallorumque genera ex ipsorum monumentis explicare instituit Larcherus ad loc. l. Herodoti, quibus nunc addendae sunt Zoëgae disputationes. Apud Indos quoque hujusmodi sacra frequentata fuisse satis docent eorum libri, quibus haec exponuntur. Vid. Hamiltoni catalogum libror. Samscritan. biblioth. Paris. Nr. V—VII. Quae res Jonesium ita movit, ut phallorum primordia ex India ad Aegyptos pervenisse crederet. Qua de causså aliorum esto judicium.

***) II, 52.

et ipsum eâdem speciê exhibitum Plutarchus perhibet *). Atque ex Aegypto Φαλλοῦ πομπὴν diserte repetit Herodotus. Graeci tamen, qui nihil suarum rerum aliis populis acceptum referre vellent, inventi phalli caussam duxerunt e fabulâ, quam in ipsa Graecia actam fingebant. Quae cum ad Bacchicas res pertineat, et immortalitatis, per phallum declaratae, manifesta vestigia habeat, insigniora attingemus. Eam ita refert Clemens Alexandrinus **): αἶσχος δὲ δὴ κοσμικὸν οἵ τε ἀγῶνες καὶ οἱ Φαλλοὶ οἱ Διονύσῳ ἐπιτελούμενοι, κακῶς ἐπινενεμημένοι τὸν βίον. Διόνυσος γὰρ κατελθεῖν εἰς ᾅδου γλιχόμενος, ἠγνόει τὴν ὁδόν. ὑπισχνεῖται δὲ αὐτῷ φράσειν Πρόσυμνος τοὔνομα, οὐκ ἀμισθεί. ὁ δὲ μισθὸς, οὐ καλὸς, ἀλλὰ Διονύσῳ καλός· καὶ ἀφροδίσιος ἦν (ἡ χάρις) ὁ μισθὸς, ὃν ᾔτειτο Διόνυσος· βουλομένῳ δὲ τῷ θεῷ γέγονεν ἡ αἴτησις, καὶ δὴ ὑπισχνεῖται παρέξειν αὐτῷ, εἰ ἀναζεύξοι, ὅρκῳ πιστωσάμενος τὴν ὑπόσχεσιν· μαθὼν ἀπῆρεν, ἐπανῆλθεν αὖθις· οὐ καταλαμβάνει τὸν Πρόσυμνον· ἐτεθνήκει γάρ· ἀφοσιούμενος τῷ ἐραστῇ ὁ Διόνυσος, ἐπὶ τῷ μνημεῖον ὁρμᾷ, καὶ πασχητιᾷ· κλάδον οὖν συκῆς, ὡς ἔτυχεν, ἐκτεμὼν, ἀνδρείου μορίου σκευάζεται τρόπον. ἐφέζεταί τε τῷ κλάδῳ, τὴν ὑπόσχεσιν ἐκτελῶν τῷ νεκρῷ. ὑπόμνημα τοῦ πάθους τούτου μυστικὸν, Φαλλοὶ κατὰ πόλεις ἀνίστανται Διονύσῳ· εἰ μὴ γὰρ Διονύσῳ πομπὴν ἐποιοῦντο, καὶ ὕμνεον ᾆσμα, αἰδοίοισιν ἀναιδέστατα εἴργασται, φησὶν Ἡράκλειτος· ωὐτὸς (leg, αὐτὸς) δὲ Ἀΐδης, καὶ Διόνυσος, ὅτεῳ μαίνονται καὶ ληναΐζουσιν. Pertinet haec fabula ad res Argolicas, quarum scriptores hac in re diserte laudat Hyginus ***). Ex eodem discimus caussam descensus ad inferos,

*) De Isid. et Osir. p. 522.

**) Cohort. p. 29. Potter.

***) Poët. astronom. V. pag. 431 Staver. de coronâ Ariadnes, adde Pausan. Corinth. 37, qui circa Lernam in lacu Alcyonio haec facta

nimirum reducendae Semeles. Explicatius autem haec eadem refert Arnobius *), ut alios taceam, qui plurimi eandem fabulam commemorarunt. Jam si quaeras, quid hoc Dionysi descensu ad inferos inventisque phallis innuerint Graeci, non obscurum est, hac in re idem accidisse, quod toties in veterum fabulis deprehendimus. Solebant enim cippi et phalli, uti videtur, collocari in sepulcris, quod et Etruscorum et Graecorum monumenta docent. Cujus rei cum rationem reddere vellent homines fabulam excogitarunt de Dionyso ad inferos descendente. Quod vero hunc prae ceteris deum descendisse dicebant, ejus rei caussâ suberat satis idonea in ipso phallorum usu, qui cum Bacchicis sacris per Graeciam increbruerat. Phalli autem in sepulcris positi significatio eo pertinebat, ut et cogitaretur naturae fecunditas, nunc exstincta, nunc vero excitata rursus, adeoque vita per vices oppressa resuscitataque. Quod quidem deinde in mysteriis traductum videtur esse ad ipsam immortalitatis exspectationem.

Celebrabantur autem mysteria circa Lernam in Argivorum finibus, quorum argumentum Pausanias l. l. religiose opprimit. Quodsi tamen reputes, fuisse apud Argivos famam, Dio-

refert. Aliud loci nomen memorat Plutarchus de S. N. V. pag. 97. ubi vid. Wyttenbachii not. p. 115.

*) Advers. gent. V. pag. 77, qui etiam Heracliti facit mentionem; adde Diodor. Sic. IV. 25. III. 62 ibiq. Wessel. Heynium observv. ad Apollodor. p. 233. Hunc Dionysi descensum celebrat epigramma Cyzic. I adde Boettigeri Museum archaeologic. I. pag. 76. seqq. Eo denique alludit Horatius Carm. II. 19. 29. ubi cf. Mitscherlichius.

nysum olim in ea terra a Perseo necatum *), haud improbabilis conjectura sit viri doctissimi **): traditum in his ipsis esse de Dionysi morte, quam extra mysteria pronuntiare veriti sint homines. Nam in mysteriis, quod supra monui, haec narratio de mortuo deo relata videtur esse ad hiemis verisque vicissitudines, ad semina terrae gremio occoecata, donec rursus virescerent, et quae reliqua inde ducuntur ad res humanas penitius cognoscendas, atque, ut cum **Cicerone** loquar, tum ad vivendi laetitiam, tum ad spem meliorem moriendi. Dubitari autem nequit, quin fama de Dionysi nece fluxerit ex Aegyptiorum fabula de morte Osiridis. Eum copiose narrant **Diodorus** et **Plutarchus** ***). Illius quidem verba excerpsit **Tzetzes** ad Lycophronis Cassandram vers. 210, qui et ipse Dionysi ithyphallici rationem ab Osiride repetendam censet. **Tzetzam** rursus in suam rem adhibuit **Eudocia** ****); cujus narratio misere corrupta illorum auctorum ope ex restitui potest. Equidem hoc

*) **Euseb.** Chron. ad ann. 713. **Cyrill.** advers. Julian. I. p. 11. **Syncelli** Chron. p. 162 ex **Dinarcho** poëta.

) Zoëgae de obelisc. p 216 Acuta est ejusdem viri suspicio, qua **Polymnum (Polypnum, nam mirifice variatur in hoc nomine) a Graeco vocabulo *εὕδω* **dormio** nomen duxisse ponit, ut sit **mortis genius**, qui in fabula dicitur viae dux in descensu Dionysi. Adjit idem vir doctus: Hanc caedem Dionysi ante oculos habuisse videtur Herodotus, cui Bacchus Osiris est; ac Melampodem, qui primus Dionysiaca sacra ex Aegypto allata ordinavit, in Alcyonio lacu easdem caerimonias instituisse opinor, quae **Sai** noctu celebrabantur in lacu orbiculari prope sepulcrum Osiridis. **Herodot.** II. cap. 170.

***) **Diodor.** I. 22. **Plutarch.** de Isid. et Osirid. p. 472.

****) **Violar.** p. 319.

loco potiora tantum tractanda censui. *Ὥσπερ δέ φασι, τὸν Διόνυσον ὑπὸ τῶν Τιτάνων διασπαραχθῆναι, οὕτω καὶ τὸν Ὄσιριν ὑπὸ τοῦ Τυφῶνος· Ὁ Ὄσιρις δὲ καὶ ἡ Δήμητρα, γυνὴ Διονύσου, μετὰ Ὡραίου* (leg. *Ἶσις δὲ, ἥ καὶ Δήμητρα — μετὰ Ὥρου*) *τὸν Τυφῶνα καὶ πάντας τοὺς ἐκείνων* (leg. *σὺν ἐκείνῳ*) *φονεῖς ἀναιρεῖ. Τὰ δὲ τοῦ Διονύσου μέλη καὶ μόρια συλλέξασα, ἑκάστῳ ναὸν καὶ ἱεροὺς* (leg. *ἱερὰ*) *ᾠκοδόμησεν ἐν Φηγάλαις. Φηγάλη δὲ, πόλις Αἰγύπτου, τὸ μέγιστον ἦν τῶν ἱερῶν*, (leg. *ᾠκοδόμησεν· ἐν Φίλαις* *) *δὲ, πόλει* κ. τ. λ.) *ὅς καὶ μέγας ὅρκος τοῖς Αἰγυπτίοις ἐτύγχανε· μία τῶν ἐν Φηγάλῃ ἡ Ὄσιρις* (leg. *μὰ τὸν ἐν Φίλαις Ὄσιριν*). Illuc revertor. Erat itaque Dionysus *ἰθυφαλλικὸς* idem, qui *χθόνιος*, sive, in rebus Bacchicis, phallorum pompa relata est ad descensum dei in orcum. Et credibile est, hanc fabulam inventi post reditum ex inferis phalli jam Heracliti aevo celebratam fuisse a Graecorum sacerdotibus poëtisque, qui Dionysum suum, non minus atque in Osiride Aegyptiorum factum esse resciverant, similiter pro mortuorum judice, Plutone, habebant. Haec est enim mens Heracliti verborum, quae praeter Clementem, laudat quoque Plutarchus **), ita tamen, ut ab hoc nonnihil discrepet, sic scribens: *καὶ μέντοι Ἡρακλείτου τοῦ φυσικοῦ λέγοντες Ἅιδης καὶ Διόνυσος οὗτος, ὅτε οὖν μαίνονται καὶ ληραίνουσιν.* Jam cum Wyttenbachius, vir summus, ex Clemente rescripserit *ὡυτὸς, ὁτέῳ*: Schleiermacherus V. C. ***) miratur, ab eodem non repo-

*) Sic etiam in Tzetza scribendum, sicut in Plutarcho scribi jussit Wyttenbachius.

**) De Isid. et Osirid. p. 483 in loco de Serapide, qui et Pluto.

***) Vid. F. A. Wolfii et Buttmanni museum studior. antiquit. III. pag. 524.

situm esse ληναΐζουσιν, praesertim cum apud eundem Clementem idem Heraclitus in ληνὰς invehatur. At veio, circa Lernam inventus erat phallus a Dionyso ab inferis redeunte, in ejusque rei memoriam a Philammone Lernaea *) erant instituta, quibus Διονύσῳ et ἰθυφαλλικῷ et Ἅιδῃ pompa duceretur; quod etiam inscriptio vetus docet, quae sic habet:

Sacratae. Apud. Laernam. Deo
Libero. Et. Cereri. Et. Corae

Quae si reputaveris, facile adducare in eam sententiam, nec Clementem nec Plutarchum genuinam loci Heraclitei lectionem servasse, quae ex utroque potius restituenda sit: λερναΐζουσι. Contra, si cogites, illud μαίνονται pertinere ad sacra cum furore peracta **), ληραίνουσιν autem ad fabularum

*) Pausan. Corinth. cap. 37. p. 320 Fac. καταστήσασθαι δὲ τῶν Λερναίων τὴν τελετὴν Φιλάμμωνά φασι. Inscriptionem antiquam desumsi ex Meursii Graecia feriata (Gronov. Thes. A. Gr. VII. p. 818.)

**) Hac data occasione verbo admonere liceat locutionis ᾅδου βάκχος et ᾅδου βάκχα, Ditis famulus, Ditis famula, de iis, qui furore correpti aut mentis impotes perniciosa funestaque committunt, et similiter Ἔρωτος βάκχος de eo, qui amore correptus agitur. Quam observationem Musgravius felicissime accommodavit aliquot locis Euripidis, qui hac forma prae ceteris delectatur. Vid. illius not. ad Hippolytum 550 (560). Similiter ducto a Bacchicis rebus vocabulo βασσάρα dicebatur femina quae veluti furore quodam in libidines rueret. Sic Penelopen Cassandra vocat ap. Lycophron. 781. Ferebatur enim illa rem habuisse cum omnibus procis, ut Duris Samius perhibet. cf. Tzetzam ad. l. l. adde Athen. V. 28 p. 266. Eustath. ad Iliad. XIV. p. 982. Nec aliter Θυὰς dicitur ab eodem Lycophrone 143 Helena, quod quinque deinceps viris nupserit. vid. Tzetz. ad h. l. qui explicat: βάκχη.

nugas, quas inepti Graeculi de isto Polypno, mortis somnique genio, somniarint, (quod aptissimum sit ad ingenium philosophorum vulgi ignorantiam ludibriaque explodentium), haec igitur si cogites, manum abstineas a corrigendo Plutarcho, cui insuper hoc opitulari videtur posse, quod in hac ipsa fabulà narrandà Tzetzes l. l. notans eos, qui ejus caussas physicas ignorent, eâdem voce utatur, cum dicat ληρῦσιν. Utcunque decernatur, apparet idonea ratio, cur in Plutarcho nihil amplius tentarit hujus egregius restitutor, cujus ego sententiam cupide exspecto. Caeterum memorabilis est locus Plutarchi, qui jam ab Heraclito Dionysum pro eodem cum Osiride Serapideque habitum fuisse videatur credere. Haec hactenus. Suppeditavit autem Διονύσου κατάβασις sive κάθοδος εἰς ᾅδου copiosum argumentum et carminum multorum et vero etiam artis operum. Qua de re non est, quod h. l. prolixius dicamus. Huc autem pertinet lucerna sepulcralis, in qua Serapis et Dionysus, hic quidem thyrsum gerens erectum, addito phallo pantherâque, ut ipsum ab inferis reducem exhibitum dicas *). Quantopere autem sepulchrorum ornamentis conveniat haec res, satis docent ea, quae supra monuimus de moriendi spe meliore; quam quidem in his symbolorum involucris latere volebant veteres. Eandem vim et alia Bacchica habent in sarcophagis, ut Silenus, tranquillitatis genius, cum cantharo, ut Ariadna a Dionyso ducta, aliaque, de quibus dixi in Studiorum Vol. II. pag. 287. Et lucerna, ut huc

*) Exstat haec imago apud Bellorium in libro, cui titulus: Le antiche lucerne sepolchrali figurate, in Roma 1691 part. II. tab. 20. Eam nos infra tab. IV, nr. 1. exhibendam censuimus.

redeam, propria quodammodo Lernaeorum mysteriorum, ad quae antiquitus e Dianae Pyronicae fano **ignem** deportare solebant Argivi *). Per Italiam quoque Διονύσῳ phallus dicatus generationis foecunditatisque praesidi. Varro **): „Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coëundo per ejus beneficium, emissis seminibus, liberentur. Hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsas perhibeant semina emittere, et ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, foemineam Liberae.“ De Libero et Libera agemus sigillatim alias, ubi ad Italorum sacra Bacchica devenerimus: nunc admonebimus priscarum Graeciae religionum, quarum in hac re vestigia servantur. Exhibetur autem in vasis Etruscorum Liber pater erecto fascino ***) nec minus in eorum sacris idem celebratur ut conjugalis deus ****) Ad hanc mentem ita Virgilius Aeneid. IV. 57.

— mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo
Junoni ante omnis, cui vincla jugalia curae.

Quod h. l. Apollo et Bacchus in conjugalibus diis numerentur, ejus rei caussam Heynius, vir summus, non oblitus vasorum Etruscorum, conjectando tantum reddi posse ait. Jam si legeris, quae nos supra †), Phanodemo auctore, monuimus de

*) Pausan. Arcad. cap. 15 extrem.

**) Ap. Augustin. de civ. D. lib. VI. cap. 9.

***) Vid. Passerii vasa Etrusc. nr. CCI.

****) Vid. Eundem ibidem tom. III. p. XXII.

†) Pag. 161 seqq.

Tritopatoribus, qui, quod generationi praeesse crederentur, in jugendo matrimonio culti fuerint, in quibus ipsis etiam Zagreus Dionysusque memorarentur: aperitur ratio cur Bacchus a Virgilio in diis conjugalibus positus sit, quam rem magis etiam firmat Varronis sententia de Libero Liberaque. Philochori porro locus supra excitatus etiam Apollinis in nuptiarum praesidio rationem reddere videtur idoneam. Pertinere autem hoc Bacchi munus ad antiquissimas Cabirorum religiones colligi quodammodo potest e symbolis, quorum indicia servarunt artis reliquiae. Nam in vasis Etruscis nunc Baccha, nunc ipse Liber pater aquae lustralis situlam et ova ad expiationem nuptialem adportant *). Quod autem Liberam pro Venere haberi dicit Varro l. l., videtur referendum esse ad decreta Orphicorum, qui quidem in hoc mundo condendo primarias partes tribuebant τῇ Ἀφροδίτῃ **). Atque in his θεολογουμένοις referendis Liberi quoque Patris mentionem injicit Proclus ***),

*) Vid. Passerii l. l.

**) Plutarch. de Isid. p. 517. Heraclid. Allegor. Homer. cap. 69 p. 206 Schow. — Huc item referenda Harmonia, quae communis omnium parens dicitur a philosophis. Qua de re disputandi nobis otium fecit Zoëga, vid. li Bassirilievi I. pag. 6 seqq.

***) In Platon. Tim p. 147. Caeterum si audias Scholiasten Pindari Pyth. III. 176 ipsum Δίκης filium dixerit Διόνυσον Euripides in Antigone. At falsum esse Grammaticum dudum et Ruhnkenio et aliis persuasit Valkenaerius in Diatrib. Eurip. cap. 15. Praxilla autem apud Hesychium dixit Ἀφροδίτης filium Βάκχον, qui diversus est a Διονύσῳ, docente eodem viro doctissimo l. l. Aliis Βάκχος est cognomen Διονύσου. Fragmentum Lex. Graec. ab Hermanno edit. ad calc. libri de emend. rat. Gramm. Gr. p. 343: Βάκχος ἐπί-

a quo et ποίησις ἡφαιστότευκτος commemoratur et ποίησις διονυσιακή. Atque ita non modo in animalibus procreandis, sed etiam in ipsâ rerum omnium effectrice naturâ Liberi Patris officium cognoscitur.

Sed ex Platonicorum recentiorum scholâ redeamus ad poëtas eruamusque vestigia antiquitatis, horum carminibus servata. Vidimus supra Bacchum, vel potius Jacchum, accenseri θεοῖς χθονίοις. Quod etiam diserte testatur Artemidorus *). Conjuncta erat haec notio cum significatione solis, quam in Baccho non minus, quam in Serapide inesse docebant. Sol autem, qui, hieme recedens, tristitiâ quadam terram contraxerat, regressus vere novo, eandem vicissim laetificat, existitque rursus foecunditatis ubertatisque effector. Itaque, sicut reliqui dii χθόνιοι, ita etiam Διόνυσος praedicabatur πλουτοδότης, inprimis festis Lenaeorum sacris. Testis Scholiastes Aristophanes **) ἐν τοῖς Ληναϊκοῖς ἀγῶσι τοῦ Διονύσου ὁ δᾳδοῦχος κατέχων λαμπάδα, λέγει, καλεῖτε θεόν· καὶ οἱ ὑπακούοντες βοῶσι, Σεμελήϊε Ἴακχε πλουτοδότα. Vides a scholiasta initium antiqui hymni, in Lenaeis cantari soliti, servatum. Atque hunc locum in exemplis posuit Causanbonus ***) rituum a vetere ecclesiâ e my-

θετον τοῦ Διονύσου, ἀφ' οὗ τὸ βακχεύειν ἀντὶ τοῦ μεθύειν. Semele a Dionyso filio in coelum illata dicta fuit Θυώνη non Διώνη, Cicero de N. D. III. 23 ibiq. Davisius, ubi tamen librariorum ignorantiâ mei quoque libri variant in Dione, Dyone, Diana. Quae nemo morabitur.

*) Oneirocrit. II. 44. cf. Hemsterhus. ad Luciani Timon. pag. 378 Bip.

**) Ran. 479.

***) Exercit. Baron. XVI. p. 484.

steriis ethnicis ad Christiana sacra traductorum, cum docet quomodo initiatorum turba, in Lenaeis, sacerdotibus praecinentibus responderit, eodem in Christianorum sacris institutum fuisse illud, quod a scriptoribus ecclesiasticis dicatur ἀντίφωνα vel ᾠδὰς ἀντιφώνους λέγειν. Satis de his rebus, quae unicuique persuadebunt, quidquid ex Cabiriis caerimoniis traditum fuerit de phallo et caede cujusdam dei, adjunctâ doctrinâ de altrice omnium animantium naturâ vitaeque et mortis vicibus, id omne ad Bacchica quoque sacra pertinuisse.

Age igitur alia vestigia legamus, quae et ipsa ad Pelasgium Bacchum ducant. Jam primum, in antecedentibus *) excitavimus locos scriptorum, a quibus Hercules Aegyptius Γιγὼν diceretur, respectu solis habito. Quod ipsum nomen inditur Dionyso, ut hic quoque deus diserte ponatur in Pataecorum numero. Etymolog. magn. **): Γιγωνὶς, ἄκρα μεταξὺ Μακεδονίας καὶ Παλλήνης ***) καὶ Γιγὼν ἐντεῦθεν ὁ Διόνυσος εἴρηται. Stephanus Byzantius s. h. v. Γίγωνος πόλις Θρᾴκης προσεχὴς τῇ Παλλήνῃ, ὁ πολίτης, γιγώνιος, ἀπὸ Γίγωνος τοῦ Αἰθιόπων βασίλεως ὃς Διονύσῳ ἡττήθη (Mss. ὃν ἥττησε Διόνυσος.) Ex quibus primum teneamus illud, quod Aethiopiae injicitur mentio. Cogitandum enim videtur de eo fabularum

*) Pag. 136 seqq.

**) In Γιγωνίς.

***) Reposui Παλλήνης pro corrupto Πέλληνης, secutus praeceptum Eustathii ad Iliad. II. p. 291. Παλληνη Thraciae memoratur etiam a Photio in lexico nuper edito, cura Hermanni V. C. Urbs Gigonos in Thracibus memoratur ab Herodoto VII 123. Thucyd. I. 61 Ex quo intelligitur haec pertinere ad priscas Thraciae religiones.

genere, quibus Dionysus Ammone patre ex Amaltheâ nymphâ progenitus ferebatur *), quas melius nossemus, si Dionysii Milesii exstaret cyclus mythicus, ex quo Diodorus sua desumsit, qui et alia refert et hoc insuper, hujus fabulae auctorem esse illum Thracem Linum. Quod autem Γιγὼν a Stephano Dionysi adversarius dicitur, non ipse Dionysus, equidem nihil moror. Hoc unum teneo, trahi haec ad eam oram, ubi Hercules Pataecus et ipse Γιγὼν dicatur. Unde facile efficitur, declarari hoc nomine in utroque deo solem redeuntem ab inferioribus coeli signis eundemque debilem adhuc ex hibernis frigoribus. Quam rem, supra docuimus, ab Aegyptiis in Harpocrate Herculeque repraesentatam fuisse debilitate pedum; nunc persequamur ejus symboli vestigia per Graecorum monumenta. Nimirum Nonnus, dum putide, ut nonnumquam solet, nominis Διονύσου etymologiam sectatur, haec tamen ad eam rem accommodata habet in loco de Bacchi natalibus **); Mercurius nominis illius auctor:

— — λοχευομένῳ δὲ Λυαίῳ
Πατρῴην ἐπέθηκεν ἐπωνυμίην τοκετοῖο,
Κικλήσκων Διόνυσον, ἐπεὶ ποδὶ φόρτον ἀείρων
Ἤϊε χωλαίνων Κρονίδης βεβριθότι μηρῷ
Νῦσος ὅτι γλώσσῃ Συρακοσσίδι χωλὸς ἀκούει.

Habemus igitur claudicantis Jovis filium, indeque nuncupatum Διόνυσον; quam etymologiam uti ejicimus, ita, quod saepe in etymologiis veterum facere licet, agnoscimus prisci sym-

*) Diodor. III. 67.

**) Dionys. IX. 18 seqq. Haec laudat, poëtâ non nominato, Etymolog. magni auctor in Διόνυσος.

boli reliquias, agnoscimus praeterea Dionysum in Pataecorum numero.

Et quemadmodum hi dei a priscis hominibus celebrabantur, ut ἐπιτραπέζιοι, sic etiam Dionysus mensis adjungi solitus conviviisque. Et primum, sunt viri docti, qui ipsum Gigonis nomen, ex Chaldaico vel Arabico sermone repetentes, ita accipiant, ut Chaldaice sit: ὁ χορευτὴς, saltator (et sic plane eum vocat Orphicus in Εὐχ. πρὸς Μυσ. vers. 9.), Arabice autem conviviator *). Quod ut in medio relinquo, ita laudabo aliquot locos veterum, ubi illud dei munus celebratur. Euripides **):

> Ὁ δαίμων, ὁ Διὸς παῖς
> Χαίρει μὲν θαλίαισιν
> Φιλεῖ δ' ὀλβοδότειραν Εἰρή-
> ναν, κουροτρόφον θεάν.

De eodem argumento plurima possint e Graecorum Romanorumque poëtis congeri, si hoc opus sit in re minime obscura. Pindari autem ex eo genere locum ad causas physicas refert Plutarchus, quas sub Dionysi nomine coli arbitratur. Ita enim ille ***) Ὅτι δὲ οὐ μόνον τοῦ οἴνου Διόνυσον, ἀλλὰ καὶ πάσης ὑγρᾶς φύ-

*) Bernard ad Hesych. s. v. Hoc praetulerim, quia Pataeci sunt exilibus pedibus. Tamen de uno Sileno et desidia et saltatio praedicatur.

**) In Bacchis 417 seqq. Hinc apud Horatium Od. II. 19, 25 choreis aptior et jocis ludoque, Tibull. I, 7, 3, ubi gemina praedicantur de Baccho.

***) De Isid. et Osirid. p. 495 seq. coll. 493 ubi eadem de Osiride dicuntur, laudato Hellanico. Pindari autem locus legitur etiam Symposiac, IX, p. 1078. Amator. pag. 38. cf. Pindari fragmenta incerta XXXIII, p. 96 Heyn.

σεως Ἕλληνες ἡγοῦνται κύριον καὶ ἀρχηγὸν, ἀρκεῖ Πίνδαρος μάρτυς εἶναι λέγων. Sequitur locus Pindari:

Δενδρέων δὲ νόμον Διόνυ-
σος πολυγαθὴς αὐξάνει
ἁγνὸν φέγγος ὀπώρας

Quod vero Dionysus frugibus arbores foecundare dicitur, pertinet ad universam vim dei, qua ille omnia plantarum genera augere credebatur, florum quoque in primis amans (φιλοστέφανος). Qua de re hoc loco adjiciam quod ad Pindarum illustrandum faciat. Etenim Διόνυσος δενδρίτης, insignis addito arbore, reperitur in urbis Metaponti nummo, quem e museo Caesareo primus vulgavit Eckhelius *). Jam neminem ambigere arbitror, quo haec Bacchi munera pertineant, in quibus antiquissimorum deorum nota inest, qui, quod vitam servarent, jucundamque redderent, boni dicti. Et diserte, ipsum Διόνυσον antiquitus Ἀγαθὸν Δαίμονα nuncupatum esse, Philonides medicus docet apud Athenaeum **). Cui loco mentio additur Jovis Σωτῆρος. Solebant enim veteres, praeter tria illa pocula, in conviviis plerisque bibi solita, (Scholiast. in Platon. Phileb. p. 43 Rhunken.) remotis mensis, meracum vinum bibere invocantes Bonum Deum. Quem quidem alii pro Baccho habebant, alii pro Jove Servatore, vid. Interprett. ad Athen. l. l. Postea Augustum Deum ad mensas adhibuerunt Romani, vid. Cuperi Observ. III. 2. 169. De illo ritu consulendi Aelian. V. H. I, 20 Scholiastes ad Aristoph. Equit. 85. Suidas in κρατὴρ et ἀγαθ. δαιμ. Servatoris autem

*) In Sylloge numor. varior. tab. 1, nr. 7.

**) Lib. XV, pag. 459. Schweigh. cf. XV, pag. 532 seq. et Epitom. II, cap. 7. adde Plutarch. Sympos. VII, ubi idem χαριτοδότης.

nomen etiam Διονύσῳ inditum narrat Pausanias, commemorans aram Διονύσȣ Σαώτȣ, quam aedificarint ex oraculo Troezenii; eodemque libro signum e ligno eidem dicatum refert*). Ab hac appellatione non aliena est ea, qua Διόνυσον ἰατρὸν dicebant, et ipsum oraculi monitu, quod Chamaeleon apud Athenaeum servavit:

> Εἴκοσι τὰς πρὸ κυνὸς, καὶ εἴκοσι τὰς μετέπειτα
> οἴκῳ ἐνὶ σκιερῷ Διονύσῳ χρᾶσθαι ἰητρῷ.

Quod praeceptum attigit Mnesitheus Atheniensis, cujus verba apud eundem exstant, quorum extrema solummodo adscribam: Διὸ καὶ καλεῖσθαι τὸν Διόνυσον πανταχȣ̃ Ἰατρόν· ἡ δὲ Πυθί' εἴρηκέν τισι Διόνυσον Ὑγιάτην καλεῖν. — — **) Atque haec res in exemplis haberi potest, unde constet, praecepta sacerdotum valetudinis tuendae antiquitus cum Bacchicis sacris copulata fuisse; et caniculae mentio satis docet, accomodasse illos haec sua consilia ad anni tempestates. Ex quo intelligitur cur illi dii, per quos sol declararetur, nunc exilior, nunc validior, ut Harpocrates, Hercules ***) et noster ipse Dionysus, diis medicis accenserentur. Quae quidem rursus conjuncta sunt cum Pataecorum vi et naturâ.

Huc item pertinet Bacchus in navibus collocatus, quod de Pataecis proprie narrari, ex ipso historiae patre didicimus. Illius autem luculenta indicia praebent numi Mytilenaeorum. Qui

*) Corinth. c. 31, 8. cap. 37, 2.

**) Athenaei Epitom. II, 3. p. 136 coll. I, 41, pag. 84.

***) Vid. supra pag. 140 seq.

quidem in adversâ parte caput Ammonis repraesentant, in aversâ Hermam navi insistentem, capite barbato, ex quo, ut videtur, hederae dependent *). Quam effigiem cum recte Eckhelius, Cyrenaicae numorum usus testimonio, in quibus item Bacchus Ammoni junctus, de Dionyso acceperit: nos quidem, post ea, quae supra posuimus, Pataecum agnoscimus Bacchum, qui mari imperitet tempestatibusque moderetur. Atque maris saepius mentio fit in hujus dei rebus, quem ex aqua ab Argivis evocari solitum Plutarchus perhibet: Ἀργείοις δὲ βουγενὴς Διόνυσος ἐπίκλην ἐστίν· ἀνακαλοῦσιν δ' αὐτὸν ὑπὸ σαλπίγγων ἐξ ὕδατος, ἐμβάλλοντες εἰς τὴν ἄβυσσον ἄρνα τῷ πυλαόχῳ, τὰς δὲ σάλπιγγας ἐν θύρσοις ἀποκρύπτουσιν, ὡς Σωκράτης ἐν τοῖς περὶ Ὁσίων εἴρηκεν. De bovigena videbimus postea; nunc admonebimus Pausaniae, qui Methymnaeos refert ab oraculo jussos σέβεσθαι Διόνυσον Κεφαλλῆνα, postquam eorum piscatores retibus e mari extraxissent ex oleae ligno fabricatum caput (πρόσωπον, ἐλαίας ξύλου πεποιημένον), quod sic describitur: τοῦτο ἰδέαν παρείχετο φέρουσαν μέν τι ἐς τὸ θεῖον, ξένην δὲ καὶ ἐπὶ θεοῖς Ἑλληνικοῖς οὐ καθεστῶσαν. Addit insuper Pausanias, signum ligneum sibi ipsos reservasse Methymnaeos, aeneum misisse Delphos. **) Eandem rem copiosius narrat Oenomaus apud Eusebium, ***) addens oraculum, consulentibus redditum:

*) Pellerin recueil de medailles de villes tom. II, tab. 103. cf. Eckhel. D. N. V. p. 503, coll. IV, p. 118 Bacchus autem ipse nonnunquam arietis cornua habet, ut Ammonis filius, quod traductum ad Macedoniae reges, cujus rei ratio non obscura, Spanhem. Dissert. de Us. et P. N. II, p. 399. Plutarchi locus est de Isid. p. 495.

**) Phocic. cap. 19, 2.

***) Praepar. evangel. lib. V. 36 pag. 233 ed. Basil.

Ἀλλὰ καὶ Μηθύμνης ναίταις πολὺ λώϊον ἔςαι
Φαλλῆνον τιμῶσι Διονύσοιο κάρηνον.

Jam si quaeras, qua specie fuisse putandus sit ille e mari protractus Dionysus: teneatur primum illud apud Pausaniam πρόσωπον, deinde addas Κεφαλλῆνα, pro quo Cod. Moscov. Κεφαλῆνα habet, in qua voce haud obscura capitis significatio inest, tum φαλληνὸς interpratur ipse Oenomaus ita, ut sit ligneus,*) dicens per civitates sacra fieri, non modo φαλληνοῖς Διονύσου καρήνοις, verum etiam λιθίνοις καὶ χαλκέοις καὶ χρυσέοις. Ex quo etiam χαλκοῦν Pausaniae explicandum est. Ex hujus praeterea verbis tenendum est, divinâ quidem illâ facie fuisse caput, sed peregrina tamen. Quae singula, in unum collata, ita me movent, ut orbiculatam sive circularem figuram cogitandam arbiter, qualem Phoenicum Aglibalum fuisse accepimus.**) Hoc si largiaris, antiquissimus Dionysus Lesbiorum, apud quos ejus religiones prae ceteris frequentatae, ad ollarium deorum similitudinem proxime accessisse putandus est. Ac quoniam Ammonis filius Bacchus praedicatur, verbo admonebo Curtii qui de vetusta Jovis Ammonis figurâ haec refert. IV. 7. 23: „Id quod pro deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo diis artifices adcommodarunt: umbilico maxime similis

*) Quod etiam Schneidero placet in Lexico graeco s. φαλλός.

**) Vid. Selden. de diis Syr. p. 151 seq. cf. supra monita pag. 134. Zoëgae contra de obelisc. p. 229 caudex fuisse videtur, superne in humani capitis speciem exiens. Ac fuisse alibi Bacchum stipitis figurâ efficrum, satis docent exempla ab eo allata. Quam rem infra attingemus; de Methymnaeo autem Baccho sententiam meam ab ejus viri auctoritate sejungendam duxi.

est habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus." Hunc locum, varie tentatum a criticis, recte, si quid video, sic cepit Schottus, ut priscam dei figuram cogitaret metae instar, veluti conum aut quadratum, aut rotundum, admonens umbilici (ὀμφάλȣ) Delphici apud Pausaniam Strabonemque, inque rem advocans locum Herodiani V, 3, 5, qui Soli κωνοειδὲς σχῆμα apud Phoenices tributum dicit. Huc item facit Tacitus, qui Historiar. II, 3 fin. „Simulacrum, ait, Deae (Veneris Paphiae) non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metae modo, exsurgens." Quem locum egregie, cum scriptorum tum numorum ope, illustrarunt doctissimi interpretes Ernestus et Oberlinus. Illuc redeo.

Quod Bacchus βȣγενὴς ex aquâ evocatur, hoc ad solem pertinere credideris, quem prisci homines oriri ex Oceano opinabantur; quae sententia Orphicis quoque placuit, ut horum hymni fragmentaque passim docent. Bos enim dicitur Orphicis Bacchus, solis respectu habito, quod proxime docebitur. Neque tamen contenderim, si quis Plutarcheum locum malit accipere de naturâ humidâ, quatenus effectrix est foecunditatis; quae et ipsa declarari videtur bovis symbolo. Unde Jus Argivae, tanquam lunae, species. Quod vero Bacchi, Lycurgum fugientis, descensum in mare ad vini aquâ diluti notionem trahunt nonnulli*) hoc equidem nihil morabor, commemorabo potius quod apud Pausaniam est,**) prope Cyparissias fontem esse, quem in maris litore Bacchus, terra thyrso percussa, excitarit, unde appellatam Διονυσιάδα πηγήν. Similia prorsus de Serapide supra relata legimus.

*) Cornutus de nat. D. cap. 30 extrem. conf. Eudociae violar. p. 121.
**) Messeniac. 36 fin.

Ad vini quoque significationem referunt plerique illud, quod Bacchus in igne genitus, πυριγανὴς dicatur *) laudantes illud Eratosthenis **): Ὁ οἶνος

— τῷ πυρὶ ἴσον ἔχει μένος.

Sed praestat vel in his vetustatis vestigia persequi, quae Thebani quoque mythi retinent. Pausanias enim ***) memoriae proditum refert, cum eo fulmine, quo icta sit Semele, de coelo lignum decidisse in ejus thalamum; quod Polydorus, quum aere exornasset, Liberum Cadmeum (Διόνυσον Καδμεῖον) appellaverit. Habemus igitur in rebus quoque Bacchicis ἄγαλμα διιπετὲς, quod rudia ejus cultus primordia arguit. Ac, solos stipites etiam ei deo repraesentando antiquitus inserviisse, plura sunt, quae nobis persuadeant. Quem morem agricolae retinuerunt diutius, quum in horto nativum caudicem (αὐτοφυὲς πρέμνον) dicarent Dionyso ****). Huc item referendus Διόνυσος Μόρυχος, quod simulacrum, Hermae instar, in quodam Siciliae oppido ante Bacchi aedem collocatum qui e vineis revertebantur pro

*) Cornutus l. l. Humidae contra naturae vim, in Baccho conspicuam, spectat etiam ea etymologia, quae Διόνυσον dictum ferebat, ἀπὸ τοῦ Διὸς ἐπὶ τοῖς κεράννυσθαι, ὅ ἐστιν ὕδασιν vid. Etymolog. magn. s. h. v., ubi Aristodemus laudatur auctor.

**) Apud Athenaeum epit. II. p. 140 et alios, vid. Schweigh. ad h. l. p. 265. Ad vini autem colorem Αἰθιοπαῖδα Dionysum (in fragmento Anacreontis apud Hesych. s. v. cf. Anacreon Fischeri p. 410) referunt interpretes, accipientes: nigricantem, propter αἴθοπα οἶνον: alii contra ad Aethiopiam trahunt, ubi e Jovis femore natus dicatur.

***) Boeot. XII 3.

****) Maxim. Tyr. Dissert. VIII. p. 129. Reisk.

vindemiarum licentiâ musto ficubusque tingere solebant, unde natum proverbium μωρότερος Μορύχου *).

Revertor ad Bacchi res natales, quas cum jam supra attigerim, nunc subjiciam aliquot locos poëtarum, πυρίσπορον praedicantium. Primus esto Euripides **):

Ἀχελώου θύγατερ,
Πότνι', εὐπάρθενε Δίρκα,
Σὺ γὰρ ἐν σαῖς ποτε παγαῖς
Τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες,
Ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀθανάτου Ζεὺς
Ὁ τεκὼν ἥρπασέ νιν.

Apud eundem poëtam ***) Bacchum Semele enixa dicitur: λοχευθεῖσ' ἀστραπηφόρῳ πυρί. Atque cum Pausanias hoc Thebis factum tradat l. l., alii aliis in locis: deus ipse apud eum poëtam Lydiam sibi patriam esse profitetur ****). Quam famam secutus Macedonius, Sardes Lydiae ita de se praedicare facit †):

Αὐτὴ καὶ Βρομίῳ γενόμην τροφός· ἐν δὲ κεραυνῷ
Ἔδρακον εὐρυτέρῳ φωτὶ φαεινόμενον.

*) Polemon apud. Suid. s. v. cf. Zoëga de obelis. pag. 212 not. Suidae nunc addendus Photius in Lexico graeco s. v. qui item Polemonem auctorem prodit. Et dicebatur praeterea Bacchus Συκίτης, quia ficus invenerit. Auctor Sosibius apud Athenaeum III. 14. p. 307. cf. Bod. a Stapel ad Theophrast. hist. plant. p. 380 et interprett. ad Hesychium.

**) In Bacchis 519 (511).

***) Ibid. vers. 3. cf. Nonni Dionysiac. VIII. 148.

****) Euripid. Bacch. 463.

†) Antholog. gr. XXXII. tom. IV. p. 92 ed. Jacobsii, qui consulendus.

Quae lucem accipiunt e Sardium numis, in quibus Jupiter barbatus dextrâ fulmen, sinistrâ infantem gestans *). Fulmen autem eâdem ratione ipsi Baccho additur cum a poëtis **) tum ab artificibus, velut in gemmâ, ubi illud ad pedes adpositum. Hinc etiam Bacchus λαμπτὴρ celebratus veterum religionibus. Testis Pausanias in Achaicis ***), qui in memorandis circa Pellenen ita: τȣ̃ δὲ ἄλσȣς τῆς Σωτείρας ἱερ[illegible] ἀπαντικρὺ Διονύσȣ Λαμπτῆρός ἐϛιν ἐπίκλησιν. τȣ́τῳ καὶ Λαμπτηρίαν ἑορτὴν ἄγȣσι, καὶ δᾳ̃δάς τε ἐς τὸ ἱερὸν κομίζȣσιν ἐν νυκτὶ, καὶ οἴνȣ κρατῆρας ἱϛᾶσιν ἀνὰ τὴν πόλιν πᾶσαν. Ubi facibus honoratum vides Dionysum, eodem fere modo, quo Osiridem et ut quisque in antiquissimis diis est, qui elementis praesunt. Vides insuper craterum mentionem adjunctam facibus. Et faces gestans fingitur hic deus a poëtis, ut ab Euripide loco memorabili ****):

*) Eckhel. D. N. V. III. 114.

**) Ut a Nonno IX. 290 seqq. et passim. Winkelmann Description d. p. gr. d. c. de Stosch. p. 234. nr. 1459.

***) XXVII. 1.

****) Nec dum satis expedito, in Bacchis 145, quem tractavit Schneiderus in Additamm. ad Lexic. gr. neque enim apparet, quomodo fax ferulae juncta. νάρθηξ explicatur a Theophrasto Hist. Plant. lib. VI. cap. 2, ubi p 583 ejus speciem exhibet Bodaeus a Stapel cf. Dioscorid. III. 81. Etymolog. s. h. v. Plin. H. N. XIII. Fischeri Indic. in Palaephat. s. v. Apud Xenophont. Cyri discipl. II. 3. 18 seqq. est pro telo. Proprie tamen sacra Baccho ferula, qui inde ναρθηκοφόρος in hymn. Orph. XLII (41). 1. Unde ductum proverbium:

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι

(apud Platonem in Phaedon. sect. 13.) de iis, qui cum virtutis insignia gerant, vera tamen virtute carent. Quod proverbium, expres-

Ὁ Βακχεὺς δ᾽ ἔχων
Πυρσώδη φλόγα πεύκας
Ἐκ νάρθηκος ἀΐσσεν.

Unde profecit Nonnus, apud quem Gigantes debellans:

Καὶ πυρὶ μάρνατο Βάκχος ἐς ἠέρα δαλὸν ἰάλλων.

Ex quo loco explicandus est Lucianus *), qui ad hanc mentem sic loquitur: ὅπλον γάρ τοι Διονυσιακὸν τὸ πῦρ πατρῷον αὐτῷ, κἀκ τοῦ κεραυνοῦ. Neque vero solum bellator facem gerit Dionysus, sed alia etiam munera agens, velut in gemmâ, ubi eandem Cupidini porrigens conspicitur **).

Jam, si quaeras, quid secuti homines prisci Bacchum in igne natum crediderint, ejusdemque praesidem quodammodo et dominum finxerint: ipsa Graecorum fabula verae rationis indicia servavit. Nam quod Gigantes facibus debellasse traditur deus, admonet ea res caussarum physicarum, quandoquidem vis terrae, tenebris obruta contractaque frigore, immania procreat, rursusque subacta solis calore, mitigatur feraxque redditur bonarum rerum omnium. Ad solis quidem efficaciam calorisque beneficium Bacchi numen mature revocasse videntur homines ***). Orphici certe theologi, eorumque sequaces philoso-

sum a multis, (vid. Erasmi Adagg. p. 230 Froben. et Fischer. ad Platon. l. l.) cum Olympiodorus diserte Orpheo tribuat, hodieque tamen desideratur in hujus fragmentis. — Nonni, qui sequitur, locus est lib. XLVIII. vers. 57.

*) In Praefatione sive Baccho Vol. VII. p. 306 Bip.

**) Quam docte explicuit Begerus in thes. Brandenburg. I. 188.

***) Diodor. Sicul. I. cap. 14. ibiq. interprett.

phi hunc deum in eam partem acceperunt, ut vel ipsum solem, vel solis filium dicerent. Hinc in Orphicis hymnis ille nunc πυρίσπορος, nunc πυριπόλος, nunc item πυριφεγγής *). Orphicae rationi sese etiam Heraclitus applicuit, cum in aliis, quod supra monuimus **) tum in sententiâ de sole, quem hic maris exhalationibus nutriri ait. Jam cum in Orphico hymno LII. 3 πυρίπνοος, qua voce ad solem respicitur, jungatur vocabulo λικνίτης, quod utrumque ad Bacchum pertinet, liceat ex hoc loco hariolari (quamquam hoc me alibi facturum supra dixeram), ut conjiciamus, declarari ab philosopho, symbolorum amante, solis figuram, tesserâ ejus dei, qui Orphicis pro sole erat. Etenim apud Stobaeum ***) ita Heraclitus et Hecataeus statuisse feruntur: ἄναμμα νοερὸν τὸ ἐκ θαλάττης εἶναι τὸν ἥλιον, σκαφοειδῆ δ' εἶναι ὑπόκυρτον. Haec sic accipit Schleiermacherus V. C., ut de lintris, sive naviculae formâ cogitet, vertens: nachenförmig gekrümmte Gestalt; similiter etiam σκάφας interpretatur in loco Diogenis ****). At vero si reputes solem non

*) Hymni Orph. XLIV. LI. LVII. et passim, Macrobii Saturnalia I. 18. Juliani imper. orat. quart. p. 152. D. Spanh., ubi Sol pater Bacchi dicitur. Ex illis autem sua desumsit Johannes Laurentius Lydus de mensib. pag. 83 et Eudocia in Violar. p. 87 et 119.

**) Vid. p. 50 seqq.

***) Eclog. phys. I. 26 p 524 et 550 Heeren cf. Plutarch. de pl. philos. II. cap. 22 p. 589 Wytt. Ex Plutarchi loco sua sumsit J. Laurent. Lydus de mensib. cap. 5 p. 39, cujus locus corruptus: ὅ γε μὴν Ἡράκλειτος τὸ αὐτὸ περὶ τὸν θεῖκον ἥλιον καὶ τὴν σελήνην φησὶ κ. τ. λ. Leg. — τὸ αὐτὸ πεπονθέναι τὸν ἥλιον κ. τ. λ.

****) IX—9—11. vid. F. A. Wolfii et Buttmanni Mus. studior. antiq III. 399.

dici κυρτὸν, quod quidem in lintrem cadat, sed ὑπόκυρτον subincurvum, aliquantum curvatum, quod a lintre alienum est, teneas insuper, Bacchum λικνίτην continuo subjici πυριπνόῳ, in quo solis manifesta significatio latet, σκάφην porro nihil aliud esse quam λίκνον, hoc est, corbem, quae pro cunis esset, infantibus reponendis *): haec igitur si cogitaveris, adducaris in eam sententiam, ut Heraclitum, statuas, solis figuram comparasse vanno Jacchi mysticae, sive corbi, qua πυρίσπορος deus, idemque Sol, infans vagierat, quae quodammodo tantum accedebat ad naviculae similitudinem, ita tamen, ut multo melius intelligi posset ejus cum solis figurâ comparatio quam lintris. Hanc vannum exhibent haud pauca veterum monumenta, e quibus praecipue admonebo illius, quod apud Winkelmannum exstat **), ubi super puerulo Baccho, in ejusmodi cunis recubante, nympha nutrix facem concutit. Quo ipso, ut supra monui, solis vis ac potestas declaratur. Quodsi tamen σκάφην apud Heraclitum accipere malis pro pelvi ***), haec ipsa res ad Bacchica symbola pertinet. Sed contraho vela, ne, quod in pelvis mentione fieri adsolet, taedium creare videar. Potius, hac data occasione, attingam aliud ex Heracliteis. Nimirum, quod apud

*) Etymolog. magn. in Δρoίτη. τὸ λίκνον explicat Scholiast. Callimachi in Jov. 48 τὸ κόσκινον, ἢ τὸ κανίον, ἐν ᾧ τὰ παιδία τιθέασιν cf. Staveren ad Hygin. fab. III. p. 21.

**) Momenti antich. ined. nr. 53. cf. ejus interpretationem I. p. 46 vers. vernac. De λίκνῳ cf. Spanhem. ad Callimach. in Jov. 48, et interprett. ad Hesych. s. v.

***) Pollucis Onom. X. cap. 21. fin. et cap. 22. §. 76. 77. ibiq. interprett.

Plutarchum *) est de lunae naturâ: Ἡράκλειτος γῆν ὁμίχλῃ περιειλημμένην, Schleiermacherus, Corsinium secutus, corrigendum pronuntiavit: Ἡρακλείδης. Cujus rei cum speciosa satis argumenta afferat, equidem tamen ampliandum existimo, laudans continentiam Wyttenbachii, qui in textu quidem nihil mutandum censuerit. Quod si rationem requiris, Laurentius facit Lydus qui hunc totum Plutarchi locum descripsit et, similiter atque hujus codices, diserte exhibet: Ἡράκλειτος γῆν ὁμίχλῃ περιειλημένην· Plutarchus: περιειλημμένην. De qua forma diximus supra. Satis nunc in hanc rem, quae rationibus in utramque partem subducendis penitius a nobis exploranda est alias, in ipsa Heracliteorum fragmentorum editione.

In rebus Bacchi commemoratur praeterea arca, λάρναξ, similiter atque in rebus Osiridis. Qua de re idem Pausanias, cui tot vetusta debemus, historiam servavit, quae priscarum religionum indolem coloremque refert. Tradit enim ille **), Jonibus, humanas hostias immolantibus, redditum oraculum, peregrinum deum importatum iri, ac tum id facere illos desituros. Quo facto advenisse Eurypylum cum arcâ (λάρνακι), in qua inclusum esset Bacchi (Διονύσου) simulacrum, quod a Vulcano ut ferebatur, fabricatum Dardanus a Jove dono acceperat, cum alii ab Hercule traditum putarent. Ejusdem signi adspectu, arcâ apertâ, mentis impos factus erat Eurypylus. Continuo a

*) Plac. philos. II. 25. pag. 588 Wyttenb. cf. Wolfii et Buttmanni Mus. p. 398.

**) Achaica XIX. XX. prolixior locus est, quam ut subjici queat, sed dignus, qui totus conferatur.

Jonibus sacra dicata deo, cui Aesymnetes (Αἰσύμνητης) cognomen inditum, in quibus etiam pervigilia, et descensus ad Milichum fluvium. Hactenus Pausanias. Jam haec Διονύσῳ Αἰσυμνήτῃ sacra ad priscas Samothraciae religiones esse referenda, unumquemque docet Dardani injecta mentio, qui illorum mysteriorum auctor perhibetur *); docent alia quoque, ut humanae hostiae, amentia Eurypyli, pompa ad fluvium ducta et quae id genus reliqua leguntur. De Aesymnetae autem nomine parum constabat inter ipsos Graecos **). Quod Aristoteles pro rege acceperat, illud congruit ejusdem dei appellatione alis. Arabes enim Dionysum vocabant Δυσάρην, quod Assemannus interpretatus est: οἰκοδεσπότην ***) dominum domus. Cui

*) Vid. quae in hanc rem monuit vir doctus in Bibliothec. critic. Amstelaed. II. 2. p. 83. cf. Heynius ad Virgil. Aeneid. VIII. 207.

**) Quos laudat ad Pausaniae locum Facius, in his Aristotel. Polit. III. 10 p. 196. Conring.

***) Interprett. ad Hesych. s. v. cf. Zoëga de obelisc. p. 205, qui etiam vocabulum Ζεύς, Σδεύς, Δεύς addit, quod a Barthelemyo explicatur dominus. Hoc autem nomen (idem quod Romanorum Deus) ex vetustis Curetum sacris repetitur. cf. Alberti ad Hesychium I. 896. 917. Huc etiam ipsum Dionysi nomen traxerunt nonnulli ut Etymolog. magn. ubi Juba Δεύνυσον eum dictum refert antiquitus δεῦνον δὲ τὸν βασιλέα λέγουσιν οἱ Ἰνδοί. Similiter Tzetzes ad Lycophron. Κατὰ Ἰνδοὺς δὲ Διόνυσος Δεῦνος καὶ ἄναξ Νύσσης. cf. Anacreontis fragmm. p. 396 Fischeri. Sed de Dionysi nominibus, qui, si quis alius, πολυώνυμος (cf. Triclin. ad Sophoclis Antig. 113.) dicetur a nobis alias pluribus. Ab Arabibus autem idem dictus Οὐροτάλ teste Herodoto III. 8; in quo solis notionem inesse judicat Seldenus d. D. S. II. p. 175 seq.

rationi, ut hoc addam, patrocinatur certe Lycophron, qui Dionysum Οἰκουρὸν dicit vers. 1246. Quae appellatio et ipsa prisci usus documentum facit.

Famam autem, quae ferebat, Bacchum infantem vel cista, vel barathro inclusum, prodiderunt haud pauci poëtae *). Hoc Junonis metu a Nymphis factum tradit Oppianus **).

Εἰλατίνῃ χηλῷ δῖον γένος ἐγκατέθεντο.

Hinc cistae in sacris Bacchicis celebratae. De quibus Theocritus in Βάκχαις ***) ita:

Ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεπονᾱμένα. —

Atque ejus rei memoriam servarunt Lydiae, quae patria Baccho, numismata; in quibus est unum e Sardiis ****) quod Silenum habet abiegnae cistae sive doliolo insidentem, in cujus

*) Vid. quos supra de natalibus Bacchi laudavimus, adde Nonnum in Dionys. IX. 100. seqq.

**) Cyneg. IV. 241.

***) XXVI. 7. ubi ἱερὰ πεπονᾱμένα sunt utensilia sacrorum, anxie procurata, neque a quoquam impune profananda. Quo facit Homeri locus Iliad. II. 409, ubi idem verbum de sollicitudine circa religiones procurandas usurpatur. Reiskius magnificum simulacrorum Bacchi Semelesque cultum cogitaverat. Caeterum in his sacris cistis haud raro tria prima servata exhibentur. Vid v. c. imagines apud Passerium Pictur. Etrusc. III. tab. CCXX seq. ejusque not. pag. 17. seq. Quae res haud parum firmat ea, quae supra pag. 145. de tribus Herculis pomis ex Lydo adscripsimus.

****) Apud Begerum in thes. Brandenburg. I. 501 seq. haud vulgaria proferentem. Caeterum quod idem vir doctus I, 190 gemmam antiquam ad Aesymnetam refert, desiderabat ea res multo plus firmamenti et roboris.

amplexu Dionysus conspicitur puerulus, altera manu vasculum, quod pro carchesio habuit Begerus. Perperam. Vetat enim poculi forma, quae non cadit in descriptionem Athenaei. Ac de carchesio, cum supra dixerim, admonebo nunc alius Bacchici poculi, cujus mentio exstat apud Athenaeum *). Πάμφιλος δὲ, ποτηρίου, φησὶν, εἶναι (κότυλον) γένος ἴδιον δ'εἶναι Διονύσου. Sequitur Polemonis locus de cerno, in quo is κοτυλίσκους memorat. Jam cum unâ tantum ansâ instructus dicatur cotylus, fortasse hunc ipsum agnoscas in eo numo, nec minus in altero, nam Vasculum prorsus idem est, quem equidem libro nostro subjiciendum curavi **), in quo Bacchus Indicus, togatus, stans, d. cyathum s. hastam gerit. Pertinet hic ipse ad res Dionysi Lydias. Indici autem Bacchi multa vestigia in Asiae minoris monumentis, e quibus poëtarum loci illustrari queunt. Simillimum plane eundem deum, cum simillimo poculo, refert Sardony ***) praeterquam quod fascinus conspiciatur. Unde anceps haeret doctissimus interpres, utrum Priapum agnoscat an

*) XI, p. 271.

**) Tab. IV. Nr. 3. Epigraphen ita supplendam censet Eckhelius in Sylloge. p. 48, unde haec nummi figura desumta: ΕΠΙ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ΜΕΛΙΤΩΝΟΣ, ut intelligatur scriba, Cilbianorum Lydiae magistratus. Inde in fine quoque legendum esse: ΤΩΝ ΚΑΤΩ Cilbianorum inferiorum, quoniam superiores archonte, vel stratego usi sint. Cyatho simile simpulum cum forma, tum usu sacio. Festus s. v. Simpulum vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur. cf. Appulejus Apolog. p. 474.

***) In libro, qui inscribitur, Choix des pierres gravées du cabinet imperial. à Vianne 1788. Nr. 24.

Bacchum Indicum. Hic quidem deus repraesentatur in antiquo vase, nuper vulgato, ut μιτρηφόρος, sinistra manu diotam gerens, ex qua similiter atque in nummo fingi videmus, merum effundit. Ei adjunctus Vulcanus, in quo fortasse Cabiriorum sacrorum indicium super est. Illius vasis notitiam debemus Millino V. C., vid. Ejus Peintures de Vases antiques Tab. IX. et quae ibi pag. 21. seqq. docte animadversa leguntur.

Ad Bacchica autem orgia trahendum videtur vas, in numismatibus obvium, quod nonnunquam Sphinges videntur tueri. E quibus unum huic libro addendum censui *) Aradi Phoenices, urnam habens, cum duobus palmae ramis, inter duas Sphinges. Atque has ipsas dicatas fuisse illius dei religionibus, refert ipse Herodotus. Scyles enim Scytha, studiosissimus Bacchicorum mysteriorum, (ἐπεθύμησε Διονύσῳ Βακχείῳ τελεσθῆναι **) ante aedes sphinges et gryphes collocaverat. (τήν τε περιβολὴν πέριξ λευκοῦ λίθου σφίγγες τε καὶ γρύπες ἕστασαν.) Magis etiam persuadet moneta Chiorum, qui prae ceteris Baccho operabantur, in qua et vascula et sphinges ***) aliaque Dio-

*) Vid tab. IV. Nr. 2. desumtum ex Vaillantii appendice iconum ad numos Graec. Imper. Epoch. Syr. Macedon. Dissert IV. sect. 34 Eundem numum habet Pellerinus et Spanhemius d. U. et P. N. Tom. I. pag. 249. Procusus est imperatore Domitiano.

**) Herodot. IV. 79. ubi tenetur Διόνυσος Βάκχειος, vid. interprett. cujus loci commode admonuit Matthiae ad Homeri hymn. minor. p. 442.

***) Vid. Pellerini Recueil des Villes. Tom. III, tab. 114. Quam in rem disputavit Boettigerus in libro, cui titulus Griech. Vasengemälde III. p. 99 cf. Ejusdem Andeutungen p. 20.

nysiaca frequentantur. Quod si porro cogites haec Herodotea esse extremae antiquitatis, reputes praeterea nummum nostrum esse Phoenicium, in quo genere plurima Cabirorum vestigia apparent *), qui dii et ipsi vasorum symbolo insigniebantur: nullus dubitabis, in nostri numismatis tesseris deprehendi pervetusta Bacchicarum religionum vestigia, quandoquidem et urna comparet, et custodes adytorum antiquissimorum Sphinges. De Sphingibus postea dicemus: videamus primum de urnae ollaeque vetustate in rebus Bacchicis. Laudat Nonius Cap. XV. §. 7. ex Varronis libro primo de vita populi Roman. haec: „Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant". Pro eo Paulus ap. Festum (p. 466. Gramm. ed Gothofred) sic: „tinia vasa vinaria". Quam vocem recte, si quid video, cum vocabulo graecorum δεῖνος sive δῖνος comparat Gerard. Vossius in Etymologico. Hoc autem ita explicat Aristophanis Scholiasta ad Nub. 389 et ad Vesp. 616. κεραμεῦν βαθὺ ποτήριον, ὃ καλεῖται δῖνος ὅπερ ἄνω εὐρύτερον ὂν, κάτω εἰς ὀξὺ λήγει. Glossa autem ad h. l. habet δῖνος καυκίον πήλινον. Hoc καυκίον referendum ad βαυκάλιον, sive καυκάλιον, de quo supra diximus. Ludit autem in voce δῖνος Comicus in Nubibus non uno loco, ut 389. 826 et praecipue 1477 seq. ubi Strepsiades

Διὰ τετονὶ τον Δῖνον.
Οἴμοι δείλαιος,
Ὅτε καὶ σὲ χυτρεῦν ὄντα θεὸν ἡγησάμην.

*) Quod ex uno Eckhelii libro intelligi potest D. N. V. III. p. 374 seqq. Nostro autem jungas alterum nummum Chiorum musei Caesar. Vindobon. apud Eundem Syllog. num. rar. tab. IV. Nr. 7. in quo Sphinx insistens diotae.

Qui locus, parum intellectus ab interpretibus, haud obscura priscarum religionum, quas Comicus ridet, vestigia retinet. Redeo ad Bacchum. Qui quidem, similiter atque Jupiter et Apollo, Tina vel Tinia dictus Etruscis. Vid. Gori in praefat. ad Alphabet. Etrusc. def. pag. CLXXVIII. Quae appellatio, obvia et alibi et in vetere paterâ, cum et δῖνε admoneat, quem χυτρεῦν θεὸν dicit apud Aristophanem Strepsiades, et vero usquequaque congruat cum tina Varronis et tiniis Festi, non erat, cur Passerius in Vas. Etrusc. III. p. CXXVII Thyones admoneret, sed habemus Bacchi Etrusci nomen, erutum ex antiquo vasis vinarii nomine, nec aliena est sententia, Bacchum antiquitus vinarii vasis symbolo repraesentatum fuisse. Illuc revertor. Quemadmodum Sphinges vasis Bacchicis additae, ita apud Euripidem *) Centauri, qui et ipsi ex oriente traducti sunt, deorum ministri, in nuptiis Pelei et Thetidis conveniunt ad κρατῆρα Βάκχε.

Atque ipsum Dionysi craterem, impositum plaustro, in pompâ duci videmus in anaglypho, quod primus ad doctorum hominum notitiam prodidit intelligentissimus operum artis interpres Zoëga **). Videtur desumtum a sarcophago. Quod quo spectet, jam non est, cur exponamus, post ea, quae supra monuimus. Nec magis reliqua moramur. Crater autem in Bacchico triumpho ex Indiâ ductus in memoriam revocat Θρίαμβον,

*) Iphigen. Aulid. vers. 1060.

**) Li Bassirilievi antich. sect. I, nr. 8. Unde describendum curavimus vid. tabulam nostram VI., ubi lynces ductae a Maenade, quam Methen esse suspicatur Zoëga, plaustroque junctae, quo Indus captivus vehitur. Sequuntur duo Satyri ducentes elephantem, quo alter captivus vehitur Indicus.

qui ipse Dionysus est. *) Quo de nomine nunc quidem non magis vacat quaerere, quam, cui aetati debeatur haec de Indico Bacchi triumpho fama, quam nuper aliquis ad Alexandri adeo reditum a posterioribus poëtis effictam arbitratus est, parum memor et Baccharum Euripidis et eorum, quae gravissimus harum rerum scriptor Arrianus **) tradit, qui hunc ipsum reditum vix credibilem ait. Orientis autem characterem referunt, sicut gryphum capita, Samiorum crateri juncta ***), ita pantherarum signa, quibus impositus conspicitur crater Bacchicus, adstante Genio alato ****). Ipsum autem Bacchum alatum exhibebant Amyclaeorum priscae religiones. In hanc enim partem Pausaniae locum Messen. 19, p. 416. (τόν τε Αμυκλαῖον καὶ Διόνυσον ὀρθώτατα - Ψίλαν ἐπονομάζοντες) acceperunt doctissimi duumviri Winkelmannus in Monument. ined. I, p. 2 vers. vernac. et Heynius in libro, cui titulus: antiquar. Aufsätze I, 80, nihil tribuentes Pausaniae opinioni ad vini fervorem haec referentis. Quo de loco uti equidem non pronuntio, ita alarum

*) Diodor. IV, 5. Plutarch. vit. Alex. 67. Ex Plutarcho profecerunt permulti Grammatici, quorum somnia decantare non attinet, in his, ipsum Plutarchum auctorem laudans, Lydus de mensib. cap. 1. Quod ibi legitur ἀπὸ τῶν ἰάμβων οἱονεὶ τῶν σκωμμάτων, illud in ea re pervestigandâ utiliter adhiberi queat, si insolentiorem reputes Θρίαμβε usum, quo λοιδορία est; vid. Conon narrat. XXXI. Atque haec aliaque expedienda sunt, priusquam decernatur, quodnam Dionysi antiquissimum primariumque nomen putandum sit. Sed de his alias, ubi ad Indicum Bacchum devenero.

**) Expedit Alex. VII, 28, pag. 404 Schmieder.

***) Herodot. IV, 152, ubi etiam Argolicus crater memoratur.

****) Apud Winkelmannum in Monumentis ined. nr. 7.

symbolum non alienum censendum est a Baccho, cujus cultus ab Orientalibus traductus est, qui alatos deos frequentare solebant. Et re vera reperitur alatus Dionysus in veterum Graecorum monumentis. Illuc revertor. Pompa, qua in nostro anaglypho κρατὴρ ducitur, illustrari potest iis, quae Callixenus apud Athenaeum *) de Ptolemaei Philadelphi illâ pompâ refert, ubi similiter curru vectus Διονύσου κρατὴρ describitur. Quae quidem omnia quo pertineant, satis a nobis videtur declaratum in antecedentibus. Jam hoc teneamus, superesse in ritu craterum, vel reponendorum in fanis, vel in pompa ducendorum, ex parte vestigia vetustissimorum sacrorum, reconditiorum etiam. Quod etiam credibile facit in triumpho Bacchi vectus globus velatus **), ut alia taceam, quae colligi possunt e veterum decretis de cratere sidereo. Caeterum, licet non sim nescius, Kannium nuper in eo libro, cui titulus: Erste Urkunden der Geschichte,

*) Lib. V, cap. 29, p. 268 Schw.

**) Quem exhibet tabula septima libri, qui inscribitur: Li Bassirilievi antich. di Roma. Atque hac data occasione addam nonnulla, quae mecum nuper humanissime per epistolam communicavit Münterus V. C. Seelandiae episcopus, cujus commentationem de Cabirorum per artis monumenta vestigiis cupide exspecto. Videlicet ille cum aliunde tum ex Wildii sel. numism. tab. XVI, nr. 94 probatum iit, fasciam sive taeniam frequentari praesertim in Cabiriis, conspicique eadem velatos binos homines, puerorum similes, in numismate Capuae reperto; quae res fortassi referenda sit ad velamenta, quibus Aeneas apud Lycophron. vs. 1266 magnorum Deorum simulacra Trojâ deportaverat. Atque cum in Monumentis Gabinis Bacchicus Genius, a Viscontio descriptus, eodem velamine amictus reperiatur, probabile fieri, e Cabiriis hoc gestamen ad Bacchica Orgia traductum esse.

tom. I, p. 597 seqq. e phialarum significatione multarum rerum primordia, e specie vero hieroglyphica literarum alphabeti elementa duxisse: nolui tamen nunc quidem hac de re pronuntiare. Nec magis decernere volui de iis, quae ibid. p. 135 seqq. super mythis Bacchicis, magnam partem, e merâ conjectura disputantur. Utinam de his judicium faciat vir doctus, qui aeque valeat certa Graecae antiquitatis scientiâ, atque orientalium linguarum cognitione. Qualis quondam judex contigit Bryantio, Kannii fratri germano, in Bibliothecâ criticâ Amstelaedamensi.

Obscuratum vero universum hoc vasorum sacrorum argumentum est injuriâ temporis, perditis antiquorum scriptorum poëtarumque, qui illustrarant, operibus. In quibus non solum erat Orphicum illud, cui titulus: κρατῆρες *), et Procli fortasse liber de eodem loco conscriptus, verum etiam Asclepiadis Myrleani commentarius περὶ τῆς Νεστορίδος, et ipsius doctissimi Apollodori Atheniensis liber, vel certe libri etymologiarum pars, quae inscriberetur: περὶ κρατῆρος sive περὶ κυλίκων **). Qua fortunae invidia factum est, ut hodieque desideremus nunc gravissimas super eo argumento veterum philosophorum sententias, nunc poëtarum graecorum narrationes melitissimas, sive, ductâ ex hoc ipso loco similitudine***), λόγων κρατῆρας.

*) Vid. supra pag. 19.

**) Apollodori fragment. X, p. 453 ed. Heynii. De reliquis operibus supra dixi in commentatione prima.

***) Qua Philostratus utitur de Vit. Apollon. IV, 24, pag. 162 ed. Olear.

A cratere genitore (γονίμῳ) proclivis transitus ad taurum, quo et ipso vis Bacchi effectrix significatur. Hujus rei indicia in barbarorum quoque religionibus. Nam, ut bovem Sivae taceam, qui deus Indis genitor est, Persarum de mundi primordiis doctrina bovi partes primarias tribuerat, ut in quo hominum rerumque praeterea plurimarum semina laterent *). Quae quidem an ad Graecam Dionysi speciem traducta fuerint, nunc non excutio, quamquam in his multa sint, quae persuadere videantur, Aegyptiaca praesertim, in his illud sacerdotum commentum, Apin a juvenca gigni, fulmine coelitus tactâ **). Quod facile admonet Dionysi, matre fulmine ictâ in lucem editi. Sectabimur potius Graecorum et ritus et fabulas, unde eruamus, quidquid prisci Bacchi in his mentionum supersit. Jam de caerimoniis memorabile illud apud Aelianum ***). Τενέδιοι δὲ τῷ πάλαι

*) Jones in libro, cui titulus Asiatik researches I. 240. seqq. Kleukerus in appendice ad Zendavestam II. 1. p. 89 seq. Hunc bovem sacrificans Mithras conspicitur in pluribus monumentis, quae vulgata sunt inde a Caussaeo ad nostram usque aetatem. cf. Herderi librum, cui titulus: die Vorwelt p. 261. seqq. et Hirtii V. C. Museum archaeolog. I. p. 87. Anaglyphum villae Albani nuper admodum editum est in libro: Li Bassirilievi antich. d. Rom. part. X. nr. 58.

**) Herodotus III, 28.

***) Histor. animal. XII. 34. p. 400 Schneider. Dionysus quoque dictus ταυροφάγος. Cujus appellationis rationem ignorant Grammatici, ut Schol. Aristoph. Ran. 457, Suidas, alii, qui de ea disputant, laudantes Sophoclem in Tyrone. Quae femina cum avia esset Melampodis, qui Bacchica sacra instituit, videtur haec fabula cum hoc argumento copulata fuisse.

ἄν (alii τὸ παλαιὸν) ἀρίστην Διονύσῳ ἔτρεφον κύουσαν βοῦν, τεκοῦσαν δὲ ἄρα αὐτὴν οἷα δὴ πυ λεχὼ θεραπεύουσι· τὸ δὲ ἀρτιγενὲς βρέφος καταθύουσιν, ὑποδήσαντες κοθόρνους. Haec narratio alterius admonet de iisdem Tenediis, quae et ipsa extremam antiquitatem arguit: **Porphyrius** de Abstin. p. 224. ἐθύοντο καὶ ἐν Χίῳ τῷ ὠμαδίῳ Διονύσῳ ἄνθρωπον διασπῶντες, καὶ ἐν Τενέδῳ, ὡς φησὶν Εὔελπις ὁ Καρύστιος. Similiter Themistocles in navi praetoria, vatis jussu, immolavit ὠμηστῇ Διονύσῳ tres captivos adolescentes. Vid. **Plutarch.** in illius vit. cap. 13. Illo autem iu sacrificio, si quaeras, quid cothurni sibi velint, loquatur **Scholiastes** *) **Aristophanis**, qui ita de ipsius Dionysi gestamine: ὁ μὲν γὰρ κροκωτὸς καὶ ὁ κόθορνος γυναικεῖά ἐϛιν. Adde mouumentorum testimonia, quae saepius hunc deum produnt muliebri habitu **). Apud eundem poëtam l. l. Dionysus clavam gerit, inde derisus ab Hercule; et comparavit ad risum Comicus, quae proprie prisca Bacchi, tanquam solis verni, symbola erant. Ac ne dubites, **Aeliano** jungo **Pausaniam**, qui, quotannis hieme (ὥρᾳ χειμῶνος), Dionysi monitu, in hujus fanum bovem de grege a Cynaethaënsibus Arcadiae deportatum esse refert **Arcad.** cap. XIX init. Hanc rem non necesse est operose firmari, post illa quae supra ***) de Harpocrate et stolato et clavam gestante diximus. Qui habitus, ut in Harpocrate, ita in Dionyso nihil aliud declarare videtur, nisi solem ex hiberno languore paullatim restitutum, vegetioremque. Eodem perti-

*) Ran. 47.

) Ut numi, vid. **Vaillant in num. Ptolem. Aegypt. Reg. p. 193.

***) Pag. 144.

net caput Harpocratis calvum ab altera parte, Bacchi contra Indici barba promissa, haec quidem aestatem designans maturam. Atque hoc idem innuunt **Orphici**, quibus Bacchus est *ἄῤῥην καὶ θῆλυς* *). Jamque responderi a nobis videtur posse Herculi apud Comicum l. l. interroganti: *τί κόθορνος καὶ ῥόπαλον ξυνηλθέτην;* Nimirum isti Baccho, quem tu tantopere rides, a priscis hominibus eadem attribuebantur, quae tibi. Huc item spectare videntur ea, quae **Porphyrius** apud **Eusebium** **) de Dionyso disputat, in quo ille humidarum frugum tenerarumque adhuc vim inesse arbitratur: *τὸ δὲ κατὰ τοὺς ὑγροὺς (καρποὺς) καὶ τὰ ἀκρόδρυα Διόνυσος καλεῖται.*

Ad humidam autem naturam **Plutarchus** ***) refert *Διόνυσον Ὕην.* Cujus loci insigniora subjiciam: *Καὶ γαρ Ἕλληνες — τὸν Διόνυσον ὙΗΝ (καλοῦσιν) ὡς κύριον τῆς ὑγρᾶς φύσεως, οὐχ ἕτερον ὄντα τοῦ Ὀσίριδος. Καὶ γὰρ τὸν Ὄσιριν Ἑλλάνικος Ὕσιριν ἔοικεν ἀκηκοέναι ὑπὸ τῶν ἱερέων λεγόμενον· οὕτω γὰρ ὀνομάζων διατελεῖ* ****) *τὸν θεὸν, εἰκότως ἀπὸ τῆς φύσεως καὶ τῆς εὑρέσεως.* Eam etymologiam ut missam facimus, ita hic locus argumentum nobis suppeditat

*) Ut Hymn. orph. XLII. (41.) 4. et passim. De ea re disputant philosophi quos excerpsit **Lydus** de mensib. p. 127, ad animantium procreationem referens. **Porphyrius** contra ap. **Euseb.** praep. evangel. III. 11 ad vim plantarum genetricem.

**) Praep. evang. III. 11 p. 110 ed. Colon.

***) De Isid. et Osirid. p. 493.

****) Pertinet hoc ad **Hellanici** *Αἰγυπτιακὰ*, cf. hujus fragm. ed. Sturzii p. 109. De **Osiridis** nomine copiose **Jablonski** in voc. Aegypt. pag. 187. ubi vid. **Te Water.** Cui nunc addendus est **Zoëga** de obelisc.

de Baccho disputandi. Ac primum, quod alio loco Plutarchus praecipit *) βέλτιον δὲ τὸν Ὄσιριν εἰς ταυτὸ συνάγειν τῷ Διονύσῳ τῷ τε Ὀσίριδι τὸν Σάραπιν, ὅτε τὴν φύσιν μετέβαλε, ταύτης τυχόντα τῆς προσηγορίας, hoc jam ab antiquissimis Graecorum scriptoribus factum esse, tum Hellanici fragmentum credibile facit, tum vero ipse Herodotus, cum refert Osiridem ab Aegyptiis dici Bacchum, alio autem loco diserte ita pronuntiat: Ὄσιρις δέ ἐστιν Διόνυσος κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν **). Quam sententiam semel amplexi Graeci deinceps vulgo videntur retinuisse, ita ut poëtae quoque, qui vulgata sectarentur, similiter proderent. Putidum sit ejusmodi locorum nubem excitare. Bini sufficiant. Ac Tibullus ***) Osiridem Bacchumque prorsus geminos facit: —

Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae, nec luctus, Osiri,
Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor.

Similiter Nonnus loco classico de Dionyso Aegyptio ****):

*) De Isid. p. 483. seq.

**) Herodot. II. 144. coll. 42. cf. Diodor. Sic. I. 11. ibiq. Wesseling. Valkenaer. ad Euripid. Phoeniss. 654. Euseb praep. evang. p. 48. a. Koen. ad Gregor. de Dialect. p. 247 seq. Zoëga de obelisc. p. 214 seqq.

***) I. 7. 43. Caeterum Diodorus l. l. Bacchum non modo Osirim dicit, sed etiam Σείριον, quod nominis soli indiderat Archilochus, teste Hesychio. Pro illo Σύριον exhibet Eusebius Praep. Ev. I. 1. Et Suri solem vocant Indi linguâ Samscritana.

****) Dionysiac. IV. 269

Praedicat ibi (neque enim placet antecedentium versuum ampullas excitare) Agenoris laudes, qui et alia patrarit

— — καὶ Αἰγυπτίᴕ Διονύσᴕ
Εὔϊα φοιτητῆρος Ὀσείριδος ὄργια φαίνων,
Μύσιδος ἐννυχίας τελετὰς ἐδιδάσκετο τέχνης. κ. τ. λ.

Et subinde Graeci, ut ferebat ipsorum consuetudo, ipsa Aegyptiaca numina, et Serapin, quod supra monitum est, et Isidem suorum heroum gentibus inserebant. Quo pertinet locus Anticlidae *), qui Isidem Promethei filiam Liberique patris uxorem fecerat. Hanc famam fortasse secuti artifices Isidi Dionysum jungunt, velut in numis, e quibus unum subjiciendum duximus **) quo ea res ad oculorum sensum explicaretur. Vides ibi Bacchum cornigerum Isidemque sedentes in thensa, cui juncti duo Centauri, quorum alter tibiam inflat, alterius tergo Cupido insistit. Centauros autem celebrari in Bacchicis rebus supra cognovimus, ut ejus dei famulos ex orientalium hominum opinione, qui in deorum ministerio animalia haberent addito humano capite et subinde aliis quoque membris humanis. Quod relatum est ad astronomicas quoque rationes. Quam in rem ita Manilius ***):

*) Apud Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 499.

**) Vid. infra tab. nostr. III, nr. 2. Eum Spanhemius d. U. et P. N. I. 280 exhibuit e Seguini select. num. p. 157. Eundem attigit Schlaegerus de numo Alexandri p. 29. Noster est numus Nicaeensis, in adversâ parte habens Juliam Severi. — Bacchus solus a Centauris vectus comparet in gemmâ apud Caussaeum (de la Chausse) in Museo Romano Tom. I, tab. 44. Caeterum de Centauris cf. Comment. I. p. 14.

***) Astron. I. 406.

— — et una gratus Jaccho
crater et duplici Centaurus imagine fulget.

Atque haec a Baccho Osiride nos revocant ad cornutum Ἴην, qui et ipse ex astronomiâ explicandus. Etenim jam Pherecydes Atheniensis tradiderat Ὑάδας esse τὰς τȢ Διονύσȣ τροφὰς, vetustiores etiam auctores secutus. Quod Thaletis mentio Hesiodique et Homeri versus probabile faciunt *), ita ut antiquissimi poëtae theologique Graecorum de hoc argumento egisse videantur. Qua de rè qui singula velit persequi, vel e grammatico genere, ut etymologias Graeculorum excutiat, vel e physico, ei justi nascatur materia voluminis. Itaque nos insigniora delibemus e rebus Bacchicis. Atqui Dionysum veteres pro sole habuerunt, ita ut sol cogitaretur vario respectu, nunc accedens tauri coelestis signo, quod aequinoctio verno fiebat, nunc leonis, quo tempore calores magni, nunc delapsus ad signa inferiora sive hiberna, sub aequinoctium autumni. Quod posterius tempus adjunctis soli serpentis insignibus declaratur. In tauri coelestis fronte comparent, vel potius, ut Gellium audiamus, frontis taurinae speciem suo positu efficiunt, eae stellae, quae Graecis Ὑάδες, Latinis Suculae, in humero Πλειάδες, quae Romanis Vergiliae. Harum illae, ut plurimorum ferebat sententia, appellatae ab ὕειν, pluere. „Nam **) et quum

*) Pherecydes, apud Schol. Homeri Il. XVIII. 486. et Suid. aliosque cf. Sturzii Pherecydea p. 114. Hesiodi Ἔργ. 383 seqq. 615.

**) Utor verbis Tironis apud Gellium N. A. XIII. 9. Explicatius autem Columella XI. 2. p. 425 haec ipsa secundum menses, diesque disposuit. Ejus locos collegit Pfaffius in comment. de ortibus et occasibus siderum p. 77, ubi etiam de Pleiadibus. Quibus nunc addendus Lydus, qui p. 86 et 124 de mensibus utrarumque ortum

oriuntur et quum occidunt, tempestates, pluvias largosque imbrescient." Jam satis apparet, quam ob rem Hyades Baccho humidae naturae domino constans antiquitatis fama junctas voluerit. Eam rem sic ornavit poëtarum ingenium, ut dicerent Nymphas esse, antea Dodonides dictas a Dodone, (ubi locorum frugum ubertas et melior vitae ratio inventa) quae Bacchum infantem nutriverint. Neque solum Nymphae in Dionysi natalibus celebrantur, verum etiam Horae. Nonn. IX. vers. 11. Cujus fabulae fons est in veterum narrationibus, ut in illa Philochori ap. Athen. II. p. 146 coll. V. p. 214. qui Amphictyonem refert ἱδρύσασθαι βωμὸν Ὀρθȣ Διονύσȣ ἐν τῷ τῶν Ὡρῶν ἱερῷ. Et a Callimacho Epigramm. 50 pag. 318 Ernest. dicuntur: Ὧραι-Διονυσιάδες. cf. Manso de Horis p. 18 et 37. In Horarum rebus praedicandis multus est Dionysiacorum poëta ut VIII. 5. XI. 485 et passim. Bacchi autem Recti (Ὀρθȣ) nomen ad vini mixtionem spectat. Hyadum res, ut illuc redeam, incredibile dictu est, quam mirifice variatae fuerint *), et, sicuti Hyades Pleiadesque in Achillis scuto apud Homerum exhibitae, sic illas quidem Euripides in Amazonum peplis pictas, sive textas, facit:

Κύκλος δὲ πανσέληνος ἠκόντιζ' ἄνω
Μηνὸς διχήρης, Ὑάδες τε ναυτίλοις

occasumque cum vernum tum autumnalem, Metrodoro auctore, designat. et Dupuis VI. 2. p. 110.

*) Arati Phaenom. Scholiast. 173 p. 49. ed. Buhle. Pherecydes l. l. Hygin poët. astronom. XXI. p. 468 ibiq. interprett. Caes. Germ. 175. ibiq. Schol. (quem emendavit Koen. ad Gregor. p. 132, neglectus a Buhlio p. 56.) Graevius Lect. Hesiod. cap. 15, ut alios taceam.

Σαφέστατον σημεῖον, ἦτε φωσφόρος
Ἕως διώκει' ἄστρα *).

Idem poëta ita de septem Pleiadibus:

— — *ἑπταπόρου τε*
Δρομήματα Πελειάδος **).

Antiquiorum autem poëtarum exemplum secutus **Nonnus** non modo de *ποταμηΐσι* *Νύμφαις* Bacchi nutricibus refert, IX. 28 et passim, verum etiam **Pleiades** ita praedicat, ut **Euripidis** imitatorem agnoscas, velut XXXVIII. 380:

Πληϊάδος τε φάλαγγος ἕλιξ ἑπτάστερος ἠχώ

et VIII. 76:

Πλειάδος ἑπταπόρου συγέω δρόμον

cf. II. 17. Atque sicut **Nonnus**, ita etiam **Aratus** ex **Euripide** colorem duxit. Vid. **Phaenom.** 257. Caeterum septenarium numerum, quem cum quadam significatione de Pleiade **Philo** et **Clemens** praedicant (**Valkenarius** de Aristobul. pag. 103.), **Baccho ipsi** a theologis dicatum infra monstrabimus. Quid **Pythagoras** innuerit, Pleiadem **Musarum**

*) Jon. 1155. Alium ex **Phaëthonte** locum laudat ad Aratum l. l. **Theon.**, in quo tres tantum Hyades dixerit Euripides, cum vulgo septem dicerentur. De Pleiadibus copiose egit **Eratosthenes** Cataster. cap. 23. **Hyadum** contra res verbo tantum attigit in capite 14 de **tauro**. Quocirca excidisse nonnulla recte arbitratur **Schaubachius** ad l. l. p. 90, quae ex **Phavorino** et **Eudocia** restitui possent **Eratostheni**. Neque enim credibile est eum omissurum fuisse, quae apud veteres celebrantur, de **Bacchi nutricibus**.

) **Orest 1004. cf. **Iphigen Aulid.** vers. 6. **Rhes.** 529. Quos locos nuper admodum tractavit **Boeckhius** noster in copiosa disputatione de **graec. Tragoed. Principibus** p. 276 sqq.

lyram dicens (Porphyr de V. P. p. 42 Kuster.) equidem nunc non exputo.

Tenent autem hae stellae primum locum inter eas, qui virescentem tempore verno herbam indicant *). Quod quantopere ad Liberum pertineat, non obscurum est. Hujus autem et ipsae, pariter atque Hyades, nutrices dicuntur: „Pleiades a pluralitate Graeci vocant, Latini eo, quod vere exoriantur, Vergilias dicunt. Dicit autem Pherecydes Athenaeus, septem sorores fuisse, Lycurgi filias, ex Naxo insula, et pro eo quod Liberum educaverunt, a Jove inter sidera sunt relatae" **). Hujus fabulae nunc sola excerpta legimus; pleniorem teneremus, si exstarent multorum opera poëtarum, ut Pindari Dithyrambi, ex quo de Pleiadibus aliquot verba servavit Etymologicum ***). Eandem fabulam expresserunt artifices. Quod colligere licet ex antiquo vase. Cujus adspectus cum haud vulgariter adjuvet harum rerum intelligentiam, addendam curavi imaginem ****). Comparet in ea Bacchus taurino capite pedibusque, clavâ armatus, (cujus gestaminis vim in declarando sole explicuimus) manuque ducens unam e Pleia-

*) Caes. German. Arat. 265 seqq.

**) Scholiast. Germanici ad vers. 255 p. 65 ed. Buhlii. Quem locum frustra quaesivi in Sturzii, ceteroqui diligentissimi, Pherecydeis.

***) In πλειάς, vid. Pindari fragmentum ex Dithyrambis VIII. Tom. III. p. 73. Heynii. cf. Nem. II. 16 seqq.

****) Vid. tab. nostr V. Descripta est e tabulis, quas Duposius (Dupuis) subjecit libro, cui titulus Origine de tous les cultes. Servatur illud vas in museo Imperat. Paris. insignitum nomine: vase de Dorsay.

dibus, quam reliquae sorores ordine sequuntur. Extremam vasis oram ambit Baccho sacer palmes.

Ac, quemadmodum Dionysus, Pleiadum dux, taurino vultu insignis, sic idem cornua tauri gerens fingitur, additâ Hyadum mentione. Etenim Scholiastes Arati l. l. hujus nominis rationem ex eo repetens, quod eae Bacchum educaverint: quo probet Ὕην esse Διόνυσον, continuo subjicit hunc Euphorionis versum, quem credibile est, desumtum esse ex hujus poëtae Διονύσῳ. Habet autem ita:

Ὕῃ ταυροκέρωτι Διωνύσῳ κοτέσασα.

Quod vero vas nostrum Bacchum tanquam astrorum choragum exhibet, illud egregie illustrat chorus in Sophoclis Antigone *), qui in hanc rem ita:

ἰὼ πῦρ πνει-
όντων χοράγ᾽ ἄστρων, νυχίων
φθεγμάτων ἐπίσκοπε
παῖ, Διὸς γένεθλον,
προφάνηθι Ναξίαις
Θυιάσιν ἅμα περιπόλοις,
αἵ πάννυχοί σε μαινόμεναι
χορεύουσι, τὸν
ταμίαν Ἴακχον.

Ad quem locum Scholiastes, has partes Baccho, sive potius Jaccho, tribui, dicit, κατὰ τινὰ μυστικὸν λόγον. E reconditioribus autem Dionysi fabulis quam multa hauserit Sophocles, nemo paulo doctior ignorat.

Neque vero solum, ut illuc redeam, tauri vel cornua gerit Bacchus, vel caput, verum etiam totus quantus taurus appel-

*) Vers. 1146 seqq.

latur. Quem locum nunc attingere juvat, ut qui et ipse vestigia prisci cultus habet. Ex his memorabile prae ceteris, quod servavit **Plutarchus**, cujus summa doctrinae copia numquam satis poterit praedicari. Ita enim ille *). *Διὰ τί τὸν Διόνυσον αἱ τῶν Ἠλείων γυναῖκες ὑμνοῦσαι παρακαλοῦσι βοέῳ ποδὶ παραγίνεσθαι πρὸς αὐτάς; ἔχει δ' οὕτως ὁ ὕμνος. Ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνὸν, σὺν χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.* Cujus rei plures subjicit rationes **Plutarchus**, e quibus illa placet, quam primo loco posuit, quod *βουγενῆ καὶ ταῦρον* nonnulli appellaverint Bacchum. Ad illud *ποδὶ* praeterea facere videtur observatio **Scholiastae ad Aristophanis Aves** **), qui dithyrambicos poëtas rideri dicit a Comico, quod istud suum *ποῦς* ad nauseam usque frequentare soleant: *ἐπεὶ πολλάκις ἐστὶ παρ' αὐτοῖς ποδὶ κύφῳ, ἢ ποδὶ λευκῷ, ἢ πόδα τιθείς.* Atque hujus usus frequentiam apud **Euripidem** docte illustravit **Beckius** V. C. in notis ad l. l. Ut vero credas, in illo Eleorum carmine **solem** respici, facit **Etymologici magni** auctor, qui in *Διόνυσος* de Baccho ita narrat: *παρὰ γὰρ Ἠλείοις ὁ αὐτὸς τῷ ἡλίῳ νομίζεται.* Bacchi autem sacra praesertim celebrata per **Italiam**, ita ut hujus terrae etiam praeses et tutor haberetur. Quo nomine eum laudat chorus **Sophocleus in Antigona** ***)

Πολυώνυμε, Καδμείας
Νύμφας ἄγαλμα, καὶ Διὸς

*) Quaest. graec. XXXVI. p. 224 Wytt. Eadem attigit idem de Isid. et Osirid. p. 495.

**) 1378. ibi.

***) 1115 seq. Cujus rei rationem, largum vini proventum, reddit Scholiastes ad h. l.

Βαρυβρεμέτα γένος
Κλύταν ὃς ἀμφέπεις
Ἰταλίαν.

Atque ex his antiquitatis vestigiis felicissime, si quid video, bovis cum facie humanâ symbolum, frequentatum per Campaniae Siciliaeque numismata, eruit Ekhelius. Quae res cum multos eruditos in diversas partes traxisset, in eam sententiam plurimi concessere Itali, ut Hebonem repraesentatum dicerent, qui a Macrobio commemoraretur. Atqui hunc ipsum Bacchum esse, recte suspicatur is, quem modo dixi, vir doctus *). Mulierem praeterea Baccho taurino accinentem, quod apud Plutarchum est l. l. agnoscit idem in numo Gelae Siciliae, in quo feminam conspicis, bovi humana facie offerentem serta **).

Ad illius vero Eleorum carminis similitudinem quodammodo accedit epodus Euripideus in Bacchis, qui sic incipit:

Φάνηθι ταῦρος, ἢ πολύκρανός γ' ἰδεῖν
Δράκων, ἢ πυριφλέγων
Ὁρᾶσθαι λέων ***).

*) D. N. V. I, pag. 136 seqq. Quae sententia nuper etiam Hirtii V. C. plausum tulit. Vid. ejus librum, qui inscribitur: Archaeolog. Bild. buch I, p. 79.

**) Exhibuimus hunc numum, quem primus Burmannus vulgaverat in Dorvillii Sicul. tab. 10. nr. 4, cf. Eckhel D. N. V. I. pag. 137, infra in tabula nostra III. nr. 3. Antiquitatem arguit inscriptio ΣΟΣΙΠΟΛΙΣ (σωσίπολις conservator civitatis.) Quod quantopere ad Sophocleum locum faciat, non attinet monere. Frequentatur autem in numis Gelae, quae erat Cretensium colonia, bos cum facie humanâ vid. Beger. thes. Br. I. p. 377.

***) Vers. 1015.

Quibus versibus nemo alius describitur, quam ipse Dionysus. Euripidis autem antiquiorumque exemplo taurum vocatum hunc deum a multis deinceps poëtis supra *) attigimus. Multo plures eidem taurina membra, alii aliud attribuunt, quorum locos operose congerere non attinet **). Illud adjiciam, quod ad Bacchi speciem spectat. Etenim, Hesychio teste, apud Ephesios pincernae (οἰνοχόοι) dicti ταῦροι. Quod conjunctum est cum illo more priscorum hominum, quo cornibus bibere solebant. Unde et κρατῆρος etymologia, quasi sit κεράτης ἀπὸ τοῦ κέρατος, et illud proverbium: ἐν κέρατι πίνειν in cornu bibere. De hoc vide Cuperum in Observv. lib. II. cap. 8. Cujus emendatio, cum Scholiastae Iliad. VIII. 189 reddit: ἐγχέασα, nunc egregie firmatur Scholiis Venetis B. Villoisoni. Usum ipsum testantur plurimi veterum loci, ut Athenaei, vid supra pag. 7. ut Addaei poëtae Carm. II, ad quem locum vid Jacobsii V. C. animadvers. p. 231, cf. Munckerus et Stavereen. ad Hygin. p. 384 et Photii Lexicon s. κεράσαι. Sed Bacchum volebam, Qui deus in gemmâ conspicitur incurvum bovis cornu, pro poculo, manu gerens ap. Begerum in thes. B. I. p. 12. similiterque in numis, vid. Spanhem. d. U. et P. N. I. pag. 393. seq.

Videamus de Baccho leone. Hac quidem specie idem occurrit piratis in Hymno Homerico in Bacch. vers. 44. Ad

*) pag. 8. seqq.

**) Videsis interprett. ad Euripid. l. l., ad Horat., carmen in Bacchum II. 19. vers. 29. seq. ad Ovid. A. A. III. 348. et ad Nemes. III. 36. Multus praecipue in his Nonnus est, vid. V. 563. VI. 165. 205. 209. VII. 320. XI. 156. XV. 30 et passim.

ejusdem poëtae imitationem postea se multi applicuerunt, in quibus ipse Horatius, qui in hanc rem ita: *)

Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis.
Unguibus horribilique mala.

Jam si quaeris, quid sibi velit leo in rebus Bacchicis: hic ipse Horatii locus, ubi immanes Terrae foetus debellat deus, innuere videtur solis jam adulti et vegeti vim efficaciamque, quam item in Baccho inesse supra vidimus. Etenim, in leonis signo sole versante, maximos esse calores Aratus prodit **). Atque huc facit Porphyrii locus ***), qui, cum tenerarum frugum symbolum Bacchum prodidisset, continuo subjicit, per Adonidem declarari maturarum frugum messem (σύμβολον τῆς κατὰ τὴν τελεσιουργίαν ἐκτομῆς). Cujusmodi sententiarum memoriam servasse videtur ipsa fabula, qua Adonis idem ferebatur esse qui Dionysus. Auctor Plutarchus: τὸν δὲ Ἄδωνιν, οὐχ ἕτερον, ἀλλὰ Διόνυσον εἶναι νομίζουσιν, addens, in utriusque sacrificiis multa peragi, quae huic sententiae fidem faciant. Alios contra Adonidem

*) Carm. in Bacchum. II. 19. 21 seqq. ad quem locum Mitscherlichius, non oblitus Euripidis, plura suppeditat exempla; adde Nonnum XL. 45 loco classico de mutatâ Dionysi forma.

**) Phaenom. 148 seq. Qua de re disputat hujus Scholiastes, p. 44.

***) Apud Euseb. praep. evang. III. 11. p. 110. Huic rei declarandae in Adoniis inserviebant et fructus maturi (ὥραια) et hordei triticique sementes in vasis factae. Quam rem egregie nuper expediit Bastius V. C. in libro, cui titulus lettre critique, pag. 153. seqq.

fuisse amasium Bacchi autumare. In quam sententiam hi versus subjiciuntur Phanoclis:

Εἰδὼς θεῖον Ἄδωνιν ὀρειφοίτης Διόνυσος
Ἥρπασεν, ἠγαθέην Κύπριν ἐποιχόμενος *),

Illud nequit dubitari, in Orphicis carminibus Adonidem non modo solem vocari, verum etiam Bacchi epitheta eidem attribui **).

Diximus supra solis ab aequinoctio autumni ad inferiora signa delabentis tesseras desumtas esse a serpente. Cujus rei item testimonia multa in rebus Bacchicis. Nam primum Euripides, loco proxime citato, ipsum Dionysum draconem facit. Aliis autem poëtarum locis idem δρακοντόκομος vel ἐχιδνόκομος, ut plurima alia praeteream. Nec minus in ejus dei sodalibus (θιασώταις) frequentatur serpens. Serpentibus enim permixtae Maenadum comae ***), serpentes in sacrâ cistâ occultatae, usurpataeque ad Bacchica ludibria. Quarum rerum obvia per poëtarum libros innumerabilia exempla, quibus non immorabimur. Teneamus autem illud, quod taurum cum serpente conjungebat fabula, cujus rei ratio non obscura, si attendas ad solis, per signa coelestia delabentis, circuitum. Ille enim nunc ad Taurum accedit, nunc Angnifero jungitur, qui Tauri est παρανατέλλων, oriturque occidente Tauro, occidit oriente.

*) Plutarchi Sympos. IV. 5. p. 743. cf. Ruhnkenii epistola crit. II. pag. 300.

**) Vid. hymn. orph. in Adonin LVI. (55) vers. 3. ubi eum Εὔβουλεῦ alloquitur poëta, vers. 5. apparet idem sol, ut alia omittam.

***) Euripid. Bacch. 697 ibiq. Barnes. 103 cf. Nonnum XIV. 233 seq. Horat. Carmin. II. vers. 19.

Et memoratur in fabulis Διόνυσος δρακοντογενής, quem Jupiter gennerit, cum latens sub draconis specie comprimeret filiam suam Proserpinam sive Pherephattam. Unde editus filius taurinâ specie Ζαγρεύς, quo nomine Bacchum appellabat ὁ ἱερὸς λόγος *). Quae res natales cum in Sabaziis, ductis per initiatorum sinum anguibus, celebrarentur, Christiana sacra amplexi scriptores inde largam vituperandi materiam nacti sunt. In iisdem sacris haec verba **) tesserarum loco fuisse constat:

Πατὴρ δράκοντος ταῦρος καὶ πατὴρ ταύρου δράκων,

quae eodem videntur pertinere.

Ac quemadmodum apud poëtas scriptoresque harum rerum memoria exstat, sic eaedem traductae sunt ad artis opera, in quibus angues saepissime adjunctae Baccho ***). Ad illam autem Liberi originem referendus numus Selinuntiorum Siciliae, qui in adversâ parte bovem illum facie humanâ habet, in aversâ Proserpinam serpenti blandientem****).

*) Clement. Alex. Protrept. p. 14. Athenagor. legat. p. 315. Arnob. advers. gent. lib. 5. Euseb. praepar. p. 34. Attigit haec Nonnus Dionysiac V, vers. ultimo; explicatius autem exposuit loco classico VI, 160 seqq. Cic. d. N. D. III. 23 ibiq. Davis. Hygin. fab. 167.

**) Clement. l. l.

***) E numis exempla dabit Begerus de numis serpentiferis p. 25 seqq. cf. Vaillant ad num. Ptolemaeor. p. 191. De ceteris conf. Montfaucon Supplem. I IV. 6.

****) Vid. Eckhel D. N V. I. 138, unde eum exhibendum duximus in tabul. nostr. III. nr. 4. Repraesentatur hic Bacchus tanquam πάρεδρος Cereris, ut ille celebratus in Eleusiniis. Qua de re alias dicetur. Per Italiam autem conjuncta Cereris Liberique religio, vid. Florus I, 16.

Cum hoc mytho arctius conjuncta ea sunt, quae Orphici praedicant de suo Chrono (Χρόνῳ). Ex horum cosmogeniis ea, quam vulgari oppositam ex Hellanico vel Hieronymo refert Damascius, ita ferebat: δράκοντα εἶναι, κεφαλὰς ἔχοντα προσπεφυκυίας ταύρου καὶ λέοντος, ἐν μέσῳ δὲ θεοῦ πρόσωπον κ. τ. λ. Vides hoc loco copulata esse tria Dionysi symbola, sed ita, ut eadem attribuerentur Chrono. Quod quo pertineat, nemo nescit, qui norit, quantopere hi philosophi numinum symbola confundere soleant, ita ut Baccho eadem adsignent, quae Chrono *). Et, si quaeris, quaenam significatio subesse putanda sit vel tauri symbolo, ad Bacchum relato, vel serpentis, in ejusdem insignibus: ante omnia faciendum est, ut reconditiorem rationem vel theologorum vel philosophorum distinguas a vulgari. Nam, licet in tauri specie et ipsi Orphici nonnumquam solem spectavisse videantur, ut in illo Orphici hymni initio: **)

Ἐλθέ, μάκαρ Διόνυσε, πυρίσπορε, ταυρομέτωπε:

ita negari nequit, eosdem eandem speciem saepius abductam a sensibus revocasse ad ea, quae sola mentis agitatione informantur. De quibus alias dicendi materia nascetur, e Thraciarum religionum loco, ad quem proxime deveniam. Quodsi antiquam reli-

*) Illa Orphicorum sententia exstat in Wolfii anecdot. gr. III. p. 254. Reliqua hujus loci tractavi supra. Diversas Orphicorum rationes disposuit Kannius in Analectis philolog. pag. 37 seqq.

**) XLV. (44). Reconditiores caussas subesse posse dicit Porphyrius de abstinent, p. 284 ed. Lugd. Qui, postquam conjecerat, ideo animalium capita diis adjuncta ab Aegyptiis, quo ab illorum esu aeque atque ab hominibus abstinerent homines, continuo subjicit: εἴτε καὶ δι' ἄλλας αἰτίας μυστικωτέρας —— προσῆψαν (οἱ Αἰγύπτιοι) κέρατα ταύρου τῷ Διονύσῳ. Illa commenta nos quidem missa facimus.

gionem spectes, in quo nunc cum maxime versamur, nolim equidem solis notionem sejungi a significatione sementis arationisque, quam sub bovis specie latere nonnulli tradiderunt*). Etenim, qui, sol, constitutus in tauri signo, terram calefacit, is non diversus a Libero, qui primus boves aratro junxit.

Similiter statuendum est de draconis symbolo, quod ab Orphicis traductum ad mystica sacrificia **) varieque explicatum a philosophis ***): si antiquam fidem sequamur, non minus ad Bacchum, tanquam solem, referri debet, quam ad humidae naturae dominum. Etenim serpentes fontium custodes****). Est praeterea, ubi Bacchus medicus cogitetur, injectà serpentium mentione. Quam caussam cum jam supra reddiderim, nunc Melampodis admonebo, qui Bacchicorum sacrorum priscus antistes, idemque medicus, tractandis serpentibus praecipue inclaruisse dicitur. Haec hactenus. Neque enim solum Pelasgicum Bacchum labentem coelo annum ducere vidimus, sed cognovimus etiam tesseras, quae declarandis iis rebus, quibus ille praeesse creditus, inservirent, nimirum phallum, vas, bovem, leonem serpentemque. Quibus rebus cum priscus Bacchi cultus, quem nunc aperire institueram, praecipue contineretur, de cultioribus hujus dei caerimoniis alias disputabo.

*) Diodor. IV. 4. Plutarch. Quaest. gr. 225. Arrian. hist. Ind. cap. 7. Etiam generationis: Γενέσεως γὰρ σύμβολον ὁ ταῦρος, Hermias Comment. in Platonis Phaedr.

**) Ubi ὄφις αἰόλος in frusta membratim dissectus, vid Orph. de Lapid. vers. 704.

***) Vid. Proclus in Platon. Tim. p. 124, ubi δράκων in rebus Bacchicis explicatur.

****) Euripid. Phoeniss. 667. Pausan. IX. 10. Hygin. fabul. LXXIV. pag. 147 ed Staver.

EXCURSUS

DE CANOBO SIDEREO

AMPHORAQUE SIDEREA.

EXPLICANTUR PRAETEREA
ANIMARUM HUMANARUM VICISSITUDINES
ANTRAQUE BACCHICA
ET BACCHUS ELEMENTORUM
DOMINUS IDEMQUE VATES

EXCURSUS

De Canobo stellâ et Amphorâ sidereâ. Subjiciuntur Platonis Platonicorumque sententiae de animarum humanarum vicissitudinibus, de Dionyso infero, antrorumque Bacchicorum notione ethica. Explicatur denique Bacchi vatis potestas ex ejusdem naturâ humidâ terrenâque.

Quemadmodum supra παρεκβατικῶς dixi de cratere Liberi sidereo, ita hic quoque liceat deverticuli requiem quaerere, cum dicendum sit de Canobo sidereo amphoraque simulque de Dionyso χθονίῳ. Canobi autem nomen celebratum prae ceteris inter astronomiae peritos, tum Eudoxi Cnidii speculâ *) ex qua is Canobi stellam observare solebat, tum quod, ex quo Canobi urbs florere coeperat doctorum hominum frequentiâ, in Canobici templi alis illi scientiae operam dederat Claudius Ptolemaeus **).

*) Quam diu postea Cnidii ostendebant harum rerum curiosis; vid. Scaligeri not. ad Manil. 30.

**) Olympiodorus commentar. ms. in Platonis Phaedon. apud Bullialdum ad Ptolem. de judic. fac. p. 203 ἐν τοῖς λεγομένοις πτεροῖς τοῦ Κανώβου.

Quod vero in astra relatus Canobus, ejus rei rationem reddit Plutarchus loco classico *): — ἔτι δὲ καὶ στρατηγὸν ὀνομάζουσιν Ὄσιριν, καὶ κυβερνήτην Κάνωβον, ȣ̓ φασιν ἐπώνυμον γεγονέναι τὸν ἀστέρα καὶ τὸ πλοῖον ὃ καλȣ̃σιν Ἕλληνες Ἀργὼ, τῆς Ὀσίριδος νεὼς εἴδωλον ἐπὶ τιμῇ κατηστερισμένον, ȣ̓ μακρὰν φέρεσθαι τȣ̃ Ὠρίωνος καὶ τȣ̃ Κυνὸς, ὧν τὸ μὲν Ὥρȣ, τὸ δὲ Ἴσιδος ἱερὸν Αἰγύπτιοι νομίζȣσιν. Qui locus lucem accipit ex gemmâ, in qua Harpocrates naviculâ vehitur e papyro confecta **). De Sole autem ipso non minus quam de ceteris diis idem testatur Numenius apud Porphyrium: — ὥς φησιν ὁ Νȣμήνιος· διὰ τȣ̃το λέγων καὶ τὸν προφήτην εἰρηκέναι, ἐμφέρεσθαι ἐπάνω τȣ̃ ὕδατος θεȣ̃ πνεῦμα. τȣ̀ς τε Αἰγυπτίȣς διὰ τȣ̃το τȣ̀ς δαίμονας ἅπαντας ȣ̓χ ἑστάναι ἐπὶ στερεȣ̃, ἀλλὰ πάντας ἐπὶ πλοίȣ, καὶ τὸν ἥλιον, καὶ ἁπλῶς πάντας, ȣ̔̃στινας εἰδέναι χρὴ τὰς ψυχὰς ἐπιποτωμένας τῷ ὑγρῷ, τὰς εἰς γένεσιν κατιȣ́σας ***). Propheta est Moses, cujus verba Genes. I. 3: Spiritum dei ferri super aquas, Numenius respicit. Quae explicatio nemini cuiquam persuadebit, non magis quam illa de animabus, in generationem descendentibus. Et qui Aegyptiae terrae naturam reputaverit, non mirabitur, Aegyptiorum deos navibus imponi. Canobus autem, Osiridis navem gubernans, facile in memoriam revocet locum Herodoteum ****) de Aegyptiorum Cabiris, qui proxime ad simi-

*) De Isid. et Osirid. p. 474 seq.

**) Schlichtegrollii Auswahl Stosch. Gemmen I. nr. 7.

***) Numenius ap. Porphyr. de antro Nymphar. cap. X. p. 11 ed. Goens. De hoc Aegyptiorum more cf. Euseb. praepar. ev. III. et quos praeterea laudat Goensius, Cuperi Harpocrat. p. 14. Martin explicat. des monumens p. 162, 197.

****) III. 37.

titudinem Pataecorum accedant, in Phoeniciis navibus collocatorum. Habemus itaque, sicut Harpocratem, ita Canobum quoque in diis navium tutoribus, quales prisci illi Pataeci fuerunt; nec moramur amplius philosophi argutias. Quod vero sol dicitur navigio vehi, id commonefacit Graecarum fabularum de solis navicula. Atque, ut hae soli nunc lintrem attribuebant nunc scyphum *): sic Mithrae quoque Persarum adjunctus crater. Testis est Porphyrius **) καθὼς παρὰ τῷ Μίθρᾳ ὁ κρατὴρ ἀντὶ τῆς πηγῆς τέτακται. En rursus solis crater e religionum Persicarum vestigiis erutus, geminus ejus, quem ex Persaepolis area eruerat Persarum ille Dschemus, et, similiter atque τὸ κόνδυ, adjunctam habens significationem humoris et affluentiae.

Revertor ad Canobum. Atque ejus stella ἐγγίζειν dicitur ***) πηδαλίῳ Ἀργοῦς. Scholiastes Germanici ita: „Est autem sidus (Eridanus) multarum stellarum luce adornatum, et subjacet ei stella, quae vocatur Canopus, sive Ptolemaeon (Ptolemaeos emendavit Munkerus ad Hygin, quod neglexit Buhlius) splendens, tangitque temonem Navis. Apparet autem humillima, eo, quod circa terram esse videtur, et nullum sidus inferius apparet, ob quod terrestris vocatur" ****). In hanc rem Vitruvius †) de stellis, circa meridianum cardinem versantibus:

*) Vid. supra p. 35 seq.

**) De antro nymph. Cap. XVII fin. p. 17.

***) Ab Eratosthene, qui ejus navigii adspectum a nautis tanquam faustum omen accipi refert. vid. cap. 35, 37.

****) Schol. German. Arat. p. 84 ed. Buhlii.

†) De architect. lib. IX cap. 5 (7) p. 254 ed. Schneider. Poëta est Mar-

— „stella Canopi, inquit, quae his regionibus est ignota; renunciant autem negotiatores, qui ad extremas Aegypti regiones proximasque ultimis finibus terrae terminationes fuerunt.“ Atque poëta:

„Hinc qua devexo tellus subducitur axe
Ignoto Canopos sese infert fulgidus astro.“

Quae res Dupossium in eam sententiam adduxit, ut mallet Canobi nomen repeti ab Arabico etymo Ganub, sive Gnub, quo vocabulo stellae meridianae insigniri solerent. Idem vir doctus e coelesti signo aquarii, cum quo Canobi stella simul oriatur, universam Graecorum fabulam de Canobo, Menelai gubernatore, explicandam censet. Quae disputatio, licet multa habeat subtiliter monita, nobis tamen non satisfecit. Neque enim intelligitur, quod vel maxime intelligi interest, cur Laconi Menelao adjunctus Canobus, cur ipse Amyclaeus, cur uxor Menuthis, cur ovorum mentio et in Cnuphi tesseris et in Laconicorum Dioscurorum natalibus, ut alia praetercam. Nos teneamus illud, eam stellam longissime omnium versus meridiem recedere creditam, ponderosae et terrestris nomine venisse.

Videamus de Aquario, cum quo Canobus simul oritur (παρανατέλλει). Pro illo in plerorumque populorum sphaeris solam hydriam exhiberi, monstravit idem vir doctus in libro bonae frugis plenissimo *), quem proxime laudavi. Unde liceat haec astronomica desumere, conjuncta cum nostro consilio. Etenim

tianus Capella VIII. Plura dabunt interpretes ad Hygin poët. astron. XXXII. p. 483 Staver. cf. Dupossii (Dupuis) origine de tous les cultes III. 2. p. 596. seqq.

*) Orig. d. t. l. cult. III, 2. p. 921.

hydriam habet non modo Aegyptiorum sphaera, sed Indorum etiam, quam Johannes Callius invenit *); diciturque hoc signum ab Indis, Brachmanarum dialecto, Cumbum i. e. urceus, a Persis, Pelvico sermone, Del, sigillum **). A Graecis autem idem nuncupari *κάλπην* ***), a Romanis amphoram inter omnes constat. Illi quidem de hoc signo varias excogitaverant fabellas, cum alii Aquarium pro Deucalione haberent, alii pro Aristeo, alii rursus pro Ganymede. Qui hanc famam sequebantur, *οἰνοχόην* eidem attribuebant: — *ἔχων γὰρ ἔστησαν οἰνοχόην, καὶ ἔκχυσιν πολλὴν ποιεῖται ὑγροῦ, ἥτις εἰκάζεται τῷ νέκταρι τοῦ Γανυμήδους· τὸν Γανυμήδην γὰρ αὐτὸν ἔφασαν οἱ περὶ Πίνδαρον, ἑκατοντόργυιον ἀνδριάντα, ἀφ' οὗ τῆς κινήσεως τῶν ποδῶν τὸν Νεῖλον πλημμυρεῖν* ****). Vides h. l. Ganymedi idem negotium tributum, quod Osiridi Serapidique suo attribuebant Aegyptii.

A poëtarum fabulis descendamus ad decreta philosophorum, quae ad Dionysum inferum pertinent. Hoc enim signum aquarii, sive amphorae, vitae humanae adversum crediderunt.

*) Philosophic. Transact. 1772. p. 353. — Urceos autem Niliacos, ut hoc, datâ hac occasione, addam, habet Denonii itiner. Aegypt. tab. 115.

**) Le Gent voyag. des Indes t. I. Anquetil Zendavest. t. III. part. 2. Ab Arabibus vocatur Aldalu.

***) Vel potius *κάλπιν*. Quae quidem forma antiquioribus placuit. Vid. Coray ad Heliodor. Aethiop. p. 83 seq. Bastii Lettre critique p. 94 seq.

****) Scholiastes Arati Phaenom 283 p. 72 Buhlii, cf. Pindari fragm. incertt. p. 125 ed. Heynii. De Aquario plura Germanicus 283 hujusque Scholiastes.

Quod referendum est ad doctrinam de animae descensu redituque. Haec quidem, simulatque e circulo deorum per viam lacteam ad inferiora humanaque delabitur, continuo egreditur portam hominum, quae est in signo tropico Cancri; unde delapsa in signum Leonis, auspicatur conditionis futurae exordium. Nam in Leone sunt rudimenta nascendi et quaedam naturae humanae tirocinia. Quibus haec subjicit idem, ex quo reliqua excerpsi, Macrobius *) „Aquarius autem adversus Leoni est, et illo oriente mox occidit: ideo cum sol Aquarium tenet, Manibus parentatur, utpote in signo, quod humanae vitae contrarium vel adversum feratur." Revertuntur autem animae ad deos per portam Deorum, quae in Capricorno est: „Capricornus deorum (porta est) quia per illum animae in propriae immortalitatis sedem et in deorum numerum revertuntur **)."

Quod Macrobius Manibus parentari dicit, quo tempore sol Aquarium teneat, spectat vulgarem ritum Ramanorum, de quo Plutarchus ***) Διὰ τί τῶν ἄλλων Ῥωμαίων ἐν τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ ποιουμένων χοὰς καὶ ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, Δέκιμος Βροῦτος, ὡς Κικέρων ἱστόρηκεν, ἐν τῷ Δεκεμβρίῳ τοῦτ' ἔπραττεν; Qua de re ibidem pluribus disputatur, quae nos in medio relinquimus. Ex Plutarcho autem Ciceronis locum lacunosum explendum censuit Lambinus, non suffragante Davisio ****).

*) In Somn. Scip. I. 12.

**) Ibid.

***) Quaest. Rom. XXXIV. p. 114 seq.

****) Ad Cic. de Legib. II. 21. Adde nunc Joan. Laur. Lydum de mensib. in Februario cap. II. p. 70.

Habemus igitur in signis coelestibus duo vasa, ad Bacchum referenda, quorum alterum crater Liberi Patris, sive generatoris, dicitur, adjuncto significatu animae, ad humanam generationem delabentis, gravataeque novo potu materialis alluvionis, ut cum Macrobio loquar *). Cui nunc Hermiam addimus **): Νύμφαι δέ εἰσιν ἔφοροι θεαὶ τῆς παλιγγεννεσίας, ὑπεργοὶ τȣ̃ ἐκ Σεμέλης Διονύσȣ· διὸ καὶ παρὰ τῷ ὕδατί εἰσι· τȣ̃τ' ἐςι τῇ γενέσει ἐπιβεβήκασι· ȣ̃τος δὲ ὁ Διόνυσος, τῆς παλιγγενεσίας ὑπάρχει παντὸς τȣ̃ αἰσθητȣ̃. Alterum vas coeleste, quod κάλπιδος, sive amphorae nomine venit; et ipsum ad Dionysum pertinet, quatenus idem est cum Serapide, arbiterque mortuorum. qui liberati a corporis vinculis, reditum ad coelestem deorum sedem meditantur, θεὸς χθόνιος, sive qualis ab Aristide ***) esse praedicatur: σωτὴρ αὐτὸς καὶ ψυχοπομπὸς, ἄγων εἰς φῶς, καὶ πάλιν δεχόμενος.

Platonico oratori addamus ipsum Platonem, ut videamus, quomodo hujus locos ad Dionysi praesertim inferi aliorumque ex hoc genere deorum potestatem declarandam traduxerint ejus disciplinae sectatores. Ac primum Plato in Cratylo mortuorum animas libenter dicit commorari apud Plutonem, ut qui ipsis summa beneficia impertiat ****): — ὁ Ἅιδης — μέγας εὐεργέτης τῶν παρ' αὐτῷ κ. τ. λ. In quibus, dubitari nequit, quin

*) Vid. supra de cratere Liberi patris sidereo p. 92.

**) Commentar. inscr. ad Platon. Phaedr. laud. a Goensio p. 101 ad haec verba Porphyrii de antro Nymph. Ναΐδας δὲ νύμφας, αἱ εἰς γένεσιν ἰȣ̃σαι ψυχαί.

***) Orat. in Serap. p. 97. a. Tenendum est urnas judiciarias Atticorum dici κάλπεις.

****) Pag. 70 seq. ed. Heindorf.

Plato priscam fabulam de diis χρηστοῖς, in quibus et Pluto, et Serapis et Jacchus est, respexerit, sed ita, ut ad sua decreta accommodaret. Paucis interjectis ita pergit: Καὶ τὸ αὖ μὴ ἐθέλειν συνεῖναι τοῖς ἀνθρώποις ἔχοντι τὰ σώματα, ἀλλὰ τότε συγγίνεσθαι, ἐπειδὰν ἡ ψυχὴ καθαρὰ ᾖ πάντων τῶν περὶ τὸ σῶμα κακῶν καὶ ἐπιθυμιῶν, οὐ φιλόσοφόν σοι δοκεῖ εἶναι καὶ εὖ ἐντεθυμημένον, ὅτι οὕτω μὲν ἂν κατέχοι αὐτοὺς δήσας τῇ περὶ ἀρετὴν ἐπιθυμίᾳ· ἔχοντας δὲ τὴν τοῦ σώματος πτοίησιν καὶ μανίαν, οὐδ' ἂν ὁ Κρόνος δύναιτο ὁ πατὴρ συγκατέχειν αὐτῷ ἐν τοῖς δεσμοῖς δήσας τοῖς αὐτοῦ λεγομένοις. Cujus loci optima est emendatio, quam excogitavit doctissimus Heusdius, Lectt. Platon. p. 81, legens φιλοσόφου et ἐντεθυμημένου. Illud autem πτοίησις confirmat emendationem in altero Platonis loco Sympos. cap. 26 §. 6 ὅθεν δὴ τῷ κυοῦντί τε καὶ ἤδη σπαργῶντι πολλὴ ἡ ποίησις γέγονε περὶ τὸ καλόν. Lege πτοίησις cum Abreschio Dilucc. Thucyd. p. 420. Quae emendatio, probatur etiam Fischero ad Phaedon. p. 284.

Ex Cratyli autem loco colorem duxit Plotinus in eâ disputatione, quae est de animabus humanis descendentibus illis quidem, neque tamen prorsus sejunctis a mundo intelligibili: Enn. IV. 3. 12. Ἀνθρώπων δὲ ψυχαὶ εἴδωλα, οἷον Διονύσου ἐν κατόπτρῳ, ἐκεῖ ἐγένοντο ἄνωθεν ὁρμηθεῖσαι· οὐκ ἀποτμηθεῖσαι, οὐδ' αὗται, τῆς ἑαυτῶν ἀρχῆς τε καὶ νοῦ. — Ζεὺς δὲ πατὴρ ἐλεήσας πονουμένας, θνητὰ αὐτῶν τὰ δεσμὰ ποιῶν περὶ ἃ πονοῦνται, δίδωσιν ἀναπαύλας ἐν χρόνοις, ποιῶν σωμάτων ἐλευθερίας· ἵν' ἔχοιεν ἐκεῖ καὶ αὗται γίνεσθαι, ὅπερ ἡ τοῦ παντὸς ψυχή. Haec extrema plane congruunt iis, quae Proclus disputat in Platon. Theologia p. 209. infr. Dionysi autem speculum quo pertineat, satis constat post ea, quae supra p. 39 ex eodem Proclo in medium protulimus, cui nunc jungendus Plotinus est.

Ad eandem mentem cum Platone disputat Julianus imperator Orat. IV. p. 135 seq. Spanhem. ubi id agit, ut Solis, tanquam intelligentis dei, principatum declaret: *φησὶν γὰρ ὁ θεὸς οὕτω·*

Εἷς Ζεὺς, εἷς ἀΐδης, εἷς ἥλιός ἐστι Σάραπις·

κοινὴν ὑπολάβωμεν, μᾶλλον δὲ μίαν Ἡλίου καὶ Διὸς ἐν τοῖς νοεροῖς θεοῖς δυναστείαν. ὅθεν μοι δοκεῖ καὶ Πλάτων οὐκ ἀπεικότως φρόνιμον θεὸν ᾅδην νομίσαι. Καλοῦμεν δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον καὶ Σάραπιν, τὸν ἀϊδῆ δηλονότι καὶ νοερόν· πρὸς ὅν φησιν ἄνω πορεύεσθαι τὰς ψυχὰς τῶν βιωσάντων ἄριστα καὶ δικαιότατα. Μὴ γὰρ δή τις ὑπολάβοι τοῦτον, ὃν οἱ μῦθοι πείθουσι φρίττειν· ἀλλὰ τὸν πρᾶον καὶ μείλιχον· ὃς ἀπολύει παντελῶς τῆς γεννήσεως τὰς ψυχάς. οὐχὶ δὲ λυθείσας αὐτὰς σώμασιν ἑτέροις προσηλοῖ κολάζων καὶ πραττόμενος δίκας· ἀλλὰ καὶ πορεύων ἄνω καὶ ἀνατείνων τὰς ψυχὰς ἐπὶ τὸν νοητὸν κόσμον. Quod de fabulis h. l. dicit Julianus, id admonet Ciceronis, qui Tuscul. I. 5 similiter haec pictorum poëtarumque portenta ejicit. Reliqua conferri debent cum Proclo in Platon. Theolog. VI. 11 p. 371, ubi Proserpina dicitur *κάτω μετὰ Πλούτωνος τῶν χθονίων ἐπάρχειν καὶ τοὺς τῆς γῆς μυχοὺς ἐπιτροπεύειν*, et paucis interjectis: *ἐπεὶ καὶ ὁ μὲν Πλούτων σοφίας ἐστὶ χορηγὸς καὶ νοῦ ταῖς ψυχαῖς κατὰ τὸν ἐν Κρατύλῳ Σωκράτην* cf. ibid. cap. 10 p. 368 et lib. V. cap. 3 p. 253. Quae omnia, similiter atque illa Juliani, ex loco Platonis citato ducta sunt, laudato etiam auctore. Illa vero Juliani de animabus clavo corpori affixis repetita sunt e Phaedone p. 387 B, ubi ita: *ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προσηλοῖ αὐτὴν (ψυχὴν) πρὸς τὸ σῶμα.* Cujus celeberrimi dicti vim et varias imitationes copiose monstravit Wyttenbachius ad Plutarchum de S. N. V. p. 125. Qui vir, cum p. 97 seqq. 113 seq. 115 seqq. universae doctrinae de animarum descensu redituque sedes primordia

vicissitudinesque ex Heracliti Pythagoreorumque fragmentis et Platonis, Platonicorumque scriptis eruerit, otium mihi fecit de his rebus disputandi. Quocirca ex illo Plutarchi libro Bacchica nonnulla subjiciam, repetita ex animarum humanarum historiâ:

Pag. 96: (p. 277 Plutarch Opp.) — μέχρις οὗ πρός τι χάσμα μέγα καὶ κάτω διῆκον ἀφικόμενος, ὑπὸ τῆς ἐχούσης ἀπελείφθη δυνάμεως, καὶ τὰς ἄλλας ψυχὰς ἑώρα τοῦτο πασχούσας ἐκεῖ. — Εἴσω μὲν ὀφθῆναι, τοῖς βακχικοῖς ἄντροις ὁμοίως ὕλῃ καὶ χλωρότητι καὶ χλόαις ἀνθέων ἁπάσαις διαπεποικιλμένον· (ἦν Wytt.) ἐξέπνει δὲ μαλακὴν καὶ πραεῖαν αὔραν, ὀσμὰς ἀναφέρουσαν ἡδονῆς τε θαυμασίας καὶ κρᾶσιν, οἵαν ὁ οἶνος τοῖς μεθυσκομένοις ἐμποιοῦσαν. Εὐωχούμεναι γὰρ αἱ ψυχαὶ ταῖς εὐωδίαις, διεχέοντό τε καὶ πρὸς ἀλλήλας ἐφιλοφρονοῦντο· καὶ τὸν τόπον ἐν κύκλῳ κατεῖχε βακχεία καὶ γέλως, καὶ πᾶσα μοῦσα παιζόντων καὶ τερπομένων. Ἔλεγε δὲ ταύτῃ τὸν Διόνυσον εἰς θεοὺς ἀνελθεῖν. καὶ τὴν Σεμέλην ἀνάγειν ὕστερον· καλεῖσθαι δὲ Λήθης τὸν τόπον. Extrema haec supra attigimus. De reliquis tenendum est primum illud, quod Wyttenbachius in notis monet, proprium spectari h. l. a Plutarcho χάσμα, quod animas voluptate deliniat et in generationem trahat. Tribuit autem idem scriptor animabus voluptariis et corporis desiderio obstrictis domicilium amoenum, cum aliis rebus, tum etiam antro Bacchico. Quod quidem h. l. similiter, atque locis supra laudatis Liberi patris crater, traducitur ad describendam conditionem animae, quae voluptatis memoriâ et titillatione humidam gravitatem contraxerit, delabaturque in terram. Hujus item doctrinae de animâ madefactâ idem vir doctus in Platonis Phaedone p. 386 C. D. et in Phaedro p. 385 vestigia inesse demonstravit, admonens Heracliteae sententiae de animabus siccis.

Cumque ex hac doctrinâ etiam Virgilius profecerit in Aeneide, veluti VI. 740, de eâdem monuit Heynius in Excursu XIII. ad hunc poëtae librum.

Jamque intelleximus illud: quemadmodum Dionysi cratere anima ebriata gravataque traderetur, sic eandem dici, simulatque in Dionysi speculum inspexisset, ab illâ unâ-individuâque naturâ deorsum ad materiam dividuam resque corporeas deferri, ita tamen, ut suae originis nunquam penitus oblivisceretur.

Antra autem Bacchica in rerum illius dei mentione numquam fere non commemorantur, cum a poëtis scriptoribusque, tum ab artificibus. Sic Pausanias Corycium in Parnasso memorat in Phocicis cap. 6. 2 et cap. 32. 2. et 5. cf. Macrobii Saturn. I. 18; qui ita: „Item Boeotii Parnasum montem Apollini consecratum memorantes, simul tamen in eodem et oraculum Delphicum et speluncas Bacchicas uni deo consecratas colunt. Unde et Apollini et Libero patri in eodem monte res divina celebratur." Prae ceteris tamen nobilitatum Bacchicum antrum in Naxo insulâ, in quo is deus a nymphis nutritus ferebatur *), Scholiast. Apollonii IV. 1131. qui illud antrum δύο θύρας ἔχειν refert, unde Διθύραμβος dictus ὁ Διόνυσος. De quo nomine cum alias dicturus sim, nunc admonebo Porphyrii, qui item hujus rei memoriam facit, de antr. Nymph. cap. XX. p. 19 in exemplis antrorum diis dicatorum, priusquam templa exstruerentur. Artifices vero antrum Bacchicum, operose a se effictum, non minus frequentarunt, cum in picturis,

*) Quod ipsum alii praedicabant de Nysio antro in Aethiopia, Diodor. III. 63.

tum in operibus aliis. Atque in arcâ illâ Cypseli ejusmodi antrum fuisse exhibitum commemorat Pausanias lib. V. cap. 7. Nec minus in illa Ptolemaei regis pompâ antrum Bacchicum ductum vid. Athen. lib. V. cap. 31 p. 272. cf. IV. cap. 29 p. 79. Idem illud effinxerat, in ornandis natalibus Dionysi, pictor apud Philostratum, in imag. I. 14. pag. 785. Huc item speluncarum in effingendis satyricis scenis mentio pertinet apud Vitruvium lib. V cap. 6 extrem. p. 130 ed. Schneideri (V. 8 init.) Huc denique Onyx Brunsvicensis, in qua Jacchus cum Proserpinâ ex antro prodiens conspicitur, et quae reliqua in hanc rem nuper collegit Boettigerus in Museo archaeolog. I. p. 35, ubi in Ariadnes nuptiis speluncae illius Bacchicae effigies explicatur. Nos quidem nostri consilii caussâ teneamus, ab illo antro, sive Naxio, sive Nysio, in quo Dionysus educatus ferebatur, traductum esse Bacchici antri nomen ad omnia ea, quae arboribus floribusque atque racemis exornata, et specie suâ umbrâque placerent, et suavitate odorum admirabili; igiturque voluptatis significationem ei appellationi fuisse adjunctam.

Est praeterea alius Platonis locus, unde illius sectatoribus materia enata de Diis priscis disputandi, in his de Διονύσῳ χθονίῳ. Etenim in Timaeo p. 40 B. (p. 323 Bip.) haec leguntur: *Γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐμηχανήσατο, πρώτην καὶ πρεσβυτάτην σωμάτων ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γέγονε.* Ac primum, quam varie et philosophi et grammatici acceperint illud εἱλουμένην, copiose explicuerunt Ruhnkenius et Hemsterhusius in illâ disputatione ad Timaei Lexicon Platon. p. 69 seqq. Nos, hac data occasione, ex Simplicii verbis

commentar. in Aristotel. de coel. II. fol. 125. b. seligamus hoc unum, in quo Bacchicarum rerum mentio inest: *εἰ δὲ διὰ τῆς ει διφθόγγȣ γράφεται (εἰλιȣμένην) καὶ ȣ̈τω τὴν καλυομένην σημαίνει, ὡς Αἰσχύλος ἐν βαττάροις* (leg. *ἐν Βασσάραις*, ut intelligeretur fabula hujus poëtae, quae inscriberetur *Βάσσαραι*) cf. Fabricium in Bibl. Gr. II. 177.

Illius autem loci singula persequitur Proclus in Comment. in Tim. pag. 280 seqq. primum e sectae suae decretis distinguens *τὴν ὡς ἀληθῶς γῆν* ab eâ, in qua insistimus, qui ipsi dicitur *παχὺς ὄγκος*. E sequentibus illud praesertim memorabile: — *ἀναγκαῖον ἄρα καὶ ψυχὴν* (*ἐν* delendum) *τῇ γῇ διδόναι καὶ νȣ̃ν, τὴν μὲν γόνιμον αὐτὴν ποιȣ̃σαν, τὸν δὲ συνέχοντα αὐτὴν ἐν τῷ μέσῳ τȣ̃ παντός. αὕτη μὲν ȣ̃ν ἡ γῆ ζῶον ȣ̃σα θεῖον καὶ πλήρωμα νοερῶν τε καὶ ψυχικῶν ἐσιῶν ἄϋλον* (leg. *ἀΰλων*) *τε, δυνάμεων. εἰ γὰρ κ. τ. λ.* Loci extrema lacunosa sunt, neque enim est, quo referatur participium *ȣ̃σα*. Atque haec Proclus disputat ad explicandum illud Platonis *γῆ τροφὸς ἡμῶν*. Paucia interjectis ita pergit: *καὶ ὥσπερ ἐκεῖνος* (*ὁ ȣ̓ρανὸς*) *ζώων ἐςὶ θείων περιεκτικὸς, ȣ̈τω καὶ αὕτη γῆ ἵνα* (leg. *γήινα*) *περιέχȣσα ζῶα.* Quae deinceps etymologica sequuntur de Iside, quae ipsi terra est, ea apud ipsum legat, cui lubeat. Deinde ita pergit Proclus l. l. *ἄλλοι δὲ εἰς τὸ γόνιμον αὐτῆς* (*γῆς*) *ἐπιδόντες Δήμητραν προσεῖπον, ὥσπερ δὴ καὶ Πλωτῖνος* *), *τὸν μὲν νȣ̃ν αὐτῆς Ἑςίαν καλῶν, Δήμητραν*

*) Enn. IV. 4. 27, loco memorabili, quo terrae animam inesse demonstrat Plotinus, sigillatim argumenta repetens ex plantis, lapidibus reliqq. Ejus loci extrema sic restituenda arbitror, ut reponatur *θείᾳ φήμῃ καὶ φύσει ἀπομαντευόμενοι τὰ τοιαῦτα*, expuncto commate aute *τὰ τοιαῦτα*, et abjecto *χρώμενοι*, quod a librario videtur profectum.

δὲ τὴν ψυχήν: ἡμεῖς δὲ αὐτὰς τὰς πρωτίστας τούτων τῶν θεῶν αἰτίας νοεράς τε καὶ δαιμονικὰς καὶ ἀπολύτους εἶναι φαμέν· καθήκειν δὲ εἰς τὴν γῆν ἀπ' αὐτῶν ἐλλάμψεις καὶ δυνάμεις, καὶ εἶναι Δήμητραν χθονίαν, καὶ Ἑστίαν καὶ Ἶσιν χθονίαν, ὥσπερ καὶ Δία χθόνιον, καὶ Ἑρμῆν χθόνιον, περὶ τὴν μίαν θεότητα τῆς γῆς τούτων τεταγμένων τῶν χθονίων. ὥσπερ δὴ καὶ περὶ τὴν μίαν τοῦ οὐρανοῦ θεότητα προελήλυθε τὸ πλῆθος τῶν οὐρανίων θεῶν· πάντων γὰρ τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν πρόοδοι γεγόνασιν εἰς τὴν γῆν, καὶ ἀποπερατώσεις· καὶ ἔστιν ἐν αὐτῇ πάντα χθονίως, ὅσα ἐν οὐρανῷ οὐρανίως εἰκότως. καὶ γὰρ ἡ νοερὰ γῆ πάσας (sic legendum pro πᾶσαν) ὑποδέχεται τὰς πατρικὰς τοῦ οὐρανοῦ δυνάμεις, καὶ ἔχει πάντα γεννητικῶς. οὕτως οὖν καὶ Διόνυσον χθόνιον ἐροῦμεν καὶ Ἀπόλλωνα χθόνιον, ὃς καὶ ὕδατα παντικὰ (leg. μαντικὰ) πολλαχοῦ τῆς γῆς ἀναδίδωσι, καὶ στόμια προφητεύοντα τὸ μέλλον. ἄλλους δὲ τόπους αὐτῆς καθαρτικοὺς ἢ ἰατρικοὺς ἀποτελοῦσιν αἱ εἰς αὐτὴν καθήκουσαι αἰώνιοι καὶ κριτικαὶ δυνάμεις. κ. τ. λ.

Cum his conferenda sunt, quae idem Proclus disputat in Platonis Theolog. IV., 16, p. 208 de triplici triade, quarum una sit συναγωγὸς, altera συνεκτικὴ τοῦ πλήθους, tertia τελεσιουργός. Qua in re explicanda etiam usurpat nomen τῶν τριῶν πατέρων. Vid. VI. 10. Quo ipso, dubitari nequit, quin ad Magnos illos Deos, sive Dioscuros antiquiores alludatur, sicut idem philosophus Platonicos locos de Corybantibus et Curetibus usurpat, cum horum saltationes ad concinni motus, quo hic mundus feratur, significationem traducit. Vid Platonis Euthyd. p. 320 Heindorf. coll. Proclo Theolog. Platon. V. 3. p. 253, ubi hoc placitum Orphicum dicitur, adde V. 35, p. 322. VI. 14. p. 382.

Ejusdem philosophi locus est de θεοῖς συνεκτικοῖς ibid. IV. 39. p. 240, ubi quaeritur διὰ τί δὲ τῶν τριῶν συνετικῶν (θεῶν)

ὁ μὲν ἐςι ἐμπύριος, ὁ δὲ, αἰθέριος, ὁ δὲ ὑλαῖος; ὅτι (respondetur) ὁ μὲν κατὰ τὸ ἓν ὑπέστη, καὶ τὸν ἕνα συνέχει κόσμον, ὁ δὲ κατὰ τὸ ὅλον, καὶ διαιρεῖ τὸ αἰθέριον. ὁ δὲ κατὰ τὸ πεπερασμένον, καὶ τῆς ἀπειρίας κρατεῖ τῆς ὑλικῆς. Jam, quod in hâc doctrinâ, tanquam proprium frequentatur vocabulam συνέχειν et inde ducta, hoc idem proprie usurpatur in explicandâ naturâ et vi Plutonis et Serapidis. De hoc quidem numine non solum Julianus eodem utitur, loco supra citato, verum etiam Aristides *), qui de Serapide ita: καὶ μὴν καὶ τὰ ὅλα γε τῦ βίυ μέτρα συνέχων ἀνθρώποις κ. τ. λ. Solent enim Platonici recentiores, in Aegypto vel nati, vel plerumque agentes, nomina tesserasque, repetita a priscis Aegyptiorum Graecorumque diis, varie revocare ad sua decreta. Vidimus etiam Plotinu terrae animam tribuere, quam Δήμητρα diceret, praeterea νῦν, quem Ἑστίας nomine nuncuparet. Proclus autem docebat, illam unam terrae vim discerptam quasi esse a Graecis, qui fabulam finxissent de pluribus diis χθονίοις, in quibus etiam Dionysus esset. Quae quidem Platonici philosophi disputatio in multis gemina cognoscitur earum sententiarum, quas hodieque amplexi sunt qui, profecti e Schellingii disciplinâ, de vi telluris, sive de terrâ animante rationisque compote disseruerunt. Illa denique, ut in vetustarum religionum vestigiis subsistamus, quae de diis συνεκτικοῖς praecipiuntur, reapse Cabirorum admonent, nomen vero, (τρεῖς πατέρες) a Tritopatoribus videtur ductum, de quibus supra diximus. Illorum patrum qui postremo loco sit, a Proclo infinitati materiali dicitur praeesse. Quod ipsum alibi tribuitur Dionyso.

*) Orat. in Serapim. p. 94. coll. p. 97.

Quod vero vim telluris administrare Bacchus dicitur, ex eo explicanda sunt ejusdem vaticinia. Et vidimus supra Διόνυσον χθόνιον junctum Apollini, qui quidem ὕδατα μαντικὰ e tellure ederet.

Atque, ut hinc ordiar, in variis divinationum generibus, quae hoc loco enumerare non attinet *), commemoratur etiam ὑδρομαντεία, quam rursus variis modis soleant instituere, e quibus eum attingam, qui conjunctior videatur cum nostro argumento. Etenim nonnumquam utebantur pelvi, infusâque aquâ annullum, suspensum filo rectoque libramento a digito pendentem, in illam demittebant. Interdum etiam lapillos vel bacilla signata literarum characteribus pelvi admovere solebant.

Quae quidem ratio λεκανομαντεία dicta adhibitaque vel diis evocandis vel mortuorum Manibus est. Plinius H. N. XXX. cap. 2 sect. 5: „Species Magiae plures sunt. Namque et aquâ et sphaeris et aëre et stellis et lucernis ac pelvibus securibusque et multis aliis modis divina promitti.“ etc. Ibid. XXVIII. cap. 8. sect. 26. — „Eodem tactis postibus, ubicunque Magorum infestari artes, non elici Deos, nec colloqui, sive lucernis, sive pelvi, sive aquâ, sive pila, sive quo alio genere tententur.“ Quod ibidem Plinius addit „umbrarum

*) Qui de his egere, eos enumerat Morhofius in Polyhist. T. II. lib. 3. Fabricius in Bibliographia antiq. p. 602. Selden. de diis Syr. p. 221. appendic. Addatur Harduin. ad Plin. H. N. XXX. sect. 5. et Mayerus in historiâ Diaboli p. 511 ed. alter. Colligendum enim e variis scriptorum reliquiis quidquid hac de re mentionum superest, quandoquidem et Peripeteticorum et Chrysippi, Stoici, integri copiosique libri perierunt, quorum excerpta apud Ciceronem de Divinatione legimus.

inferorumque colloquia" id jam Troici belli tempore Ulysses factitasse fertur, cum pelvis ope Tiresiae animam ex inferis eliceret. Auctor Tzetzes ad Lycophron. 813 ὅτι λεκανομαντείαν ἐποίησε, καὶ τὴν Τειρησίου ψυχὴν ἠρώτησε. Inde Strabo lib. XVI. p. 1106 Almel.* jungit illa tria divinationum genera, cum dicit: παρὰ δὲ τοῖς Πέρσαις οἱ Μάγοι καὶ νεκυομάντεις, καὶ ἔτι οἱ λεγόμενοι λεκανομάντεις, καὶ ὑδρομάντεις. Ac fortasse ad lecanomantiam trahat aliquis, quae de Dodonaeis lebetibus feruntur apud veteres, quorum testimonia supra excitavimus, pag. 46 seqq., et fortasse magis etiam quod apud Curtium legitur de Jovis Ammonis oraculo IV. 7. 24: „Hunc (deum), quum responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes; multis argenteis pateris ab utroque navis latere pendentibus." De quibus pateris nolo exponere quid somniaverit Bryantius in nov. system. mythol. Et censoriâ notâ inussit vir doctus in Bibliothecâ crit. Amstel. Vol. I. pag. 75. Jam, ut illud omittamus, quod lecanomantiam antiquissimis Graecis tribuit Tzetzes, hoc nequit dubitari, posteriori aevo ejus rei multa, per scriptorum libros, exempla reperiri. Quo pertinet Suidae locus, qui in Θεόφιλος βασιλεὺς Ῥωμαίων Joannem quendam Patriarcham λεκανόμαντιν fuisse perhibet. Quid? hodieque apud Orientales lecanomantiae vestigia deprehenduntur. Cujus rei et alii auctores, et Nordenius in itinerar. Aegyptiaco. Quem locum equidem in notâ subjiciendum duxi *). Constat insuper illam

*) Norden Voyage d'Egypte et de Nubie, nouv. edit. T. III. p. 68. „Je sais, dit Baram Casbef de Derri au juif, qui servoit d'entremetteur aux voyageurs Européens, quelles gens Vous êtes: j'ai con-

λεκανομαντείαν aliaque ex hoc genere nuper a doctis aliquot viris revocari coepta esse ad physicas etiam rationes *). Quam rem si quis judicare aggrediatur philologus, in eum, verendum est, ne a physicis dicatur illud, quod in ψυχρολογοῦντα commode dicitur apud Aristophanem in Nubibus:

Δότε μοι λεκάνην!

Itaque me recipiam eo, unde profectus sum, et quo idem poëta revocat, in eâdem fabulâ, cum canit vers. 599. seqq.

Παρνασίαν θ' ὃς κατέχων
πέτραν, σὺν πεύκαις σελαγεῖ
Βάκχαις Δελφίσιν ἐμπρέπων
κωμαστὴς Διόνυσος.

Quae quidem fama eodem referenda est, quo Proclus l. l. Διόνυσον χθόνιον retulit, nimirum ad vim aquae terraeque, cujus anhelitu incitata mens vaticinari crederetur. Unde Aeschylus, loco classico de Delphico oraculo, in Eumenidibus vers. 2. τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν celebrat. Ad hanc mentem ea efficta sunt, quae Plutarchus de rebus inferis comme-

sulté ma coupe, et j'y ai trouvé, que Vous etiez ceux, dont un de nos prophêtes a dit, qu'il viendroit des Francs travestis, qui — feroient enfin venir un grand nombre d'autres Francs, qui feroient la conquète du pays et examineroient tout "

*) Caeterum eruditiores musici sonorum naturam antiquitus explorarunt pulsatis vasis: Λάσος δὲ ὁ Ἑρμιονεύς, ὥς φασι, καὶ οἱ περὶ τὸν Μεταποντῖνον Ἵππασον [illegible]έχεσθαι τῶν κινήσεων τὰ τάχη καὶ τὰς βραδύτητας, δι' ὧν αἱ συμφωνίαι, ἐν ἀριθμοῖς ἡγούμενος, λόγους τοιούτους ἐλάμβανεν ἐπ' ἀγγείων. In sequentibus ejus inventi ratio describitur. Locus autem est Theonis Smyrnaei, de mathematicis Platonis locc. cap 12.

moravit in libro de S. N. V. p. 98 seqq. ubi et κρατὴρ μέγας, in quem rivi influerent, et praeterea tripus, e quo lumen eniteretur in Parnassum (Φῶς ἐκ τοῦ τρίποδος — διὰ τῶν κόλπων τῆς Θεμίδος ἀπερειδόμενον εἰς τὸν Παρνασσόν. Ad quem locum de Terrâ Themideque fatidicâ monuit Wyttenbachius.) Nos ad Bacchi tripodem revocat Athenaeus II. 6. p. 143 seq.: — ὅθεν „Οἶνος καὶ ἀλήθεια," λέγεται· καὶ

Ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον.

Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσου, τρίπους. καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. δεῖ δὲ νοεῖν τρίποδα τοῦ Διονύσου, τὸν κρατῆρα. Et paucis interjectis: καὶ οὕτός ἐστιν ὁ τῆς ἀληθείας (οἰκεῖος) τρίπους *): διὸ καὶ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος, διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν· Διονύσου δὲ, διὰ τὴν ἐν μέθῃ. Vides hoc loco tripodem Bacchicum ad vini efficaciam referri. Huc quodammodo pertinet Plutarchus, qui Sympos. VII. 9. p. 941, antiquissimos homines, refert, inter pocula consultare solitos Bacchum εὔβουλον, hoc est bonum consiliarium, dixisse. Penitius autem Bacchi vatis naturam declarant duo ejusdem scriptoris loci. Horum alter est de Isid. et Osirid. p. 495, habetque ita: καὶ Δελφοὶ τὰ τοῦ Διονύσου λείψανα παρ' αὐτοῖς παρὰ τὸ χρηστήριον ἀποκεῖσθαι νομίζουσιν. Agit ibi Plutarchus de Osiridis διαμελισμῷ, cujus geminum Dionysi fatum fuerit. Altero autem loco de Ei Delphico p. 591 idem ita: — ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν Διόνυσον, ᾧ τῶν Δελφῶν οὐδὲν ἧττον ἢ τῷ Ἀπόλλωνι μέτεστιν. Sequitur disputatio de naturâ Dionysi, quatenusque ea discrepet ab Apolline. Quae

*) Fulgentius mytholog. II. 15. „Ideo etiam nudus (Liber), seu quod omnis ebriosus intervertendo nudus remaneat, aut mentis suae secreta ebriosus nudet." Ubi conferendi interprett.

discrepantia huc redit, ut hic sit semper juvenis *) et senectutis exsors, ille contra multiplici forma variaque specie pingatur, fingaturque. Sed ille locus de conversionibus Διονύσε ejusque διασπασμῷ et διαμελισμῷ dignus est, qui totus legatur, et conferenda ea, quae supra, p. 18 seq. in hanc rem monuimus. Quibus hoc subjiciam de numero septenario in utriusque dei tesseris: Proclus in Platon. Tim. III. p. 200: — πρὸς δὲ τέτοις κἀκεῖνο θεωρητέον, ὅπως διττὸν ἐνταῦθα παραδίδεται τε̃ δημιεργε̃ τὸ ἔργον. καὶ γὰρ διαιρεῖ κατὰ μοίρας τὴν ψυχὴν, καὶ ἁρμόζει τὰ διῃρημένα, καὶ σύμφωνα ἀλλήλοις ἀπεργάζεται· ταῦτα δὲ ποιῶν ἅμα μὲν διονυσιακῶς, ἅμα δὲ ἀπολλωνιακῶς ἐνεργεῖ. τὸ μὲν γὰρ διαιρεῖν, καὶ τὸ προάγειν εἰς μέρη τὰ ὅλα, καὶ τῆς διανομῆς προεςάναι τῶν εἰδῶν, διονυσιακόν· τὸ δὲ ἐναρμονίως πάντα τελειε̃ν ἀπολλωνιακόν· ἅτε ἓν ἀμφοτέρων τῶν θεῶν τέτων ὁ δημιεργὸς ἐν αὐτῷ περιέχων τὴν αἰτίαν, καὶ μερίζει καὶ ἁρμόζει τὴν ψυχήν· καὶ γὰρ ὁ ἀριθμὸς κοινός ἐςιν ἀμφοτέρων ἡ ἑβδομὰς, ἐπεὶ τὸν Διόνυσον οἱ θεολόγοι μεριζόμενον, εἰς ἑπτὰ μερισθῆναι λέγεσιν. ἑπτὰ δὲ πάντα μέρη κόρε διεμερίσαντο. Subjicitur ratio cur Apollo dicatur ἑβδομαγέτας. Quam lectionem, sicut etiam Aeschyleam Sept. c. Theb. 802 (806) contra Meursium egregie tuitus est Valkenarius de Aristobulo pag. 116. Haec hactenus. Attendamus illud: Baccho ex theologorum sententiâ attribui infinitatem multifariarum formarum vicissitudinumque, quas rerum ipsa natura subeat.

*) Quod alibi ipsi Baccho tribuitur, ut in Priapejo sive Ithyphallico carmine ap. Dionysium de compos. verb. p. 50 ed. Schaef. et inconsumta juventus de eodem praedicatur ab Ovidio. Apud Plutarchum l. l. continuo subjicitur alicujus dictum, qui Bacchum ὀρσιγύναικα et Εὔιον vocaverat. cf. Wyttenbach ad h. l.

Haec autem notio copulata est cum divinatione. **Nam in plerisque diis, praesertim in eis, qui elementis praesunt, ut Proteus, Silenus alii, ita fieri videmus, ut illis, praeter formarum varietates mirasque mutationes**, etiam fatidica vis attribuatur. Quem locum cum alibi attigerim, nunc **Bacchum vatem** monstrabo. Qui quidem e **Thraciâ** repetendus est sacrisque **Orphicis**. Et **Herodotus** VII. cap. 111 diserte, a Satris, Thraciae populo, **Bacchi oraculum** teneri, perhibet, quod in altissimis montibus edatur. Hinc **Sophocles** in Oedipo rege vers. 1100 et Apollinem fatidicum et Bacchum montanis numinibus accenset. Huc item facit **Euripides**, qui in **Hecuba** 1267:

Ὁ Θρῃξὶ μάντις εἶπε Διόνυσος τάδε.

Ad quem locum **Scholiastes**: *οἱ μὲν περὶ τὸ Παγγαῖον εἶναι τὸ μαντεῖον φασὶ τοῦ Διονύσου, οἱ δὲ περὶ τὸν Αἷμον, οὗ εἰσὶ καὶ Ὀρφέως ἐν σανίσιν ἀναγραφαί.*

Atque ita institutum videmus antiquitus, ut etiam Bacchi religionibus oraculique Thracii reverentiâ immanes barbarorum animi ad meliorem vitae cultum erudirentur, legesque, in hunc usum a sacerdotibus latae, repeterentur a Dionysi numine. Fuisse autem etiam haec oracula cum quodam furore edita, docet locus classicus **Euripidis** in **Bacchis** 298 seqq. quem subjiciam:

Μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε. Τὸ γὰρ βακχεύσιμον,
Καὶ τὸ μανιῶδες, μαντικὴν πολλὴν ἔχει.
Ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολὺς,
Λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.

Haec sufficiant, quo demonstremus, Bacchum fuisse antiquitus elementorum praesidem, eundemque χθόνιον et μάντιν, vaticiniique vim ex ipsâ elementorum efficaciâ esse repetendam.

INDEX FIGURARUM.

In tabulà quartà.

fig. 1. Lucerna sepulcralis, in qua Serapidis imago, et Dionysus redux ab inferis, eum pantherà phalloque, vid. p. 239.

fig. 2. Numus Aradi Phoenices, urnam exhibens, eum duobus palmae ramis inter duas sphinges, vid. p. 261.

fig. Numus Cilbianorum Lydiae, in quo Bacchus Indicus, togatus, dextrà cyathum, sinistra hastam gerit, vid. p. 260.

In tabulà quintà.

Vas antiquum, in quo Bacchus, taurino capite pedibusque, armatus clavà Pleiadesque ducens. vid. p. 275.

In tabulà sextà.


Anaglyphum, in quo Dionysi crater ex Indià in pompà ductus, impositusque plaustro, vid. p. 263.

CORRIGENDA.

Pag. 9. l. 6. ab ult. l. σῷ
— 17. l. 3. ab ult. pro 2. l. 32.
— 21. l. 13. post medicamentis claudatur parenthesis.
— 28. l. 14. ab ult. l. coupes.
— 29. l. 4. ab ult. l. differre.
— 36. l. 4 l vidimus.
— 50 l. 9. l. πρόσθεν.
— 72. l. 13. l. συνάπτειν.
— 116. l. 2. ab ult l. Hecataeo.
— 150. l. 5. dissimulare.
— 179. l. penult. not. l. quae supra.
— 193. l. 21. l. artis.
— 202. l. 12. l. πορφυρᾶς.
— 207. l 1. l. primo versu.
— 219 l. 6 l Ophiuchi.
— 246 l. 4. ab ult. l. ἀγαθ.
— 270. l. 3. l. μετέβαλε.

INDEX


AUCTORUM EMENDATORUM ET ILLUSTRATORUM.


4
3
5


1
2
3
4
5
ΣΑΡΑΠΙΣ
LΓ



L. Schnell ſc.


1
2
3
ΑΡΑΔΙΩΝ

